


PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

TEXTUS ET DOCUMENTA

IN USUM EXERCITATIONUM ET PRAELECTIONUM ACADEMICARUM

SERIES PHILOSOPHICA

11

SANCTI AUGUSTINI DOCTRINA DE COGNITIONE

TEXTUS SELECTOS

COLLEGIT ET NOTIS INSTRUXIT

LEO W. KEELER S. I.

IN PONT. UNIV. GREG. PROF.

26

ROMAE

APUD AEDES PONT. UNIVERSITATIS GREGORIANAE

Piazza della Pilotta, 4

1934

TEXTUS ET DOCUMENTA

SERIES THEOLOGICA

1. **De Spiritu Sancto anima corporis mystici.** — I. Testimonia selecta e Patribus Graecis (S. TROMP). in-8° pp. 64, 1932 - Lire 4.
2. **S. Augustini: De Correptione et Gratia.** — Editio aucta introductione, notis, textibus parallelis (C. BOYER). in-8°, pp. 64, 1932 - Lire 4.
3. **De obligatione catholicorum perseverandi in fide suscepta.** — Documenta Vaticana (H. LENNERZ). in-8°, pp. 68, 1932 - Lire 4.
4. **De ordaliis** — I. Decreta R. Pontificum et Synodorum (P. BROWE). in-8°, pp. 48, 1932 - Lire 4.
5. **De frequenti communione in Occid. usque ad a. 1000.** — Documenta varia (P. BROWE). in-8°, pp. 84, 1932 - Lire 6.
6. **Photius et Ecclesia Romana.** — Documenta notis illustrata I: Primus Patriarchatus Photii (G. HOFMANN). in-8°, pp. 68, 1932 - Lire 4.
7. **De Spiritu Sancto anima corporis mystici.** — II. Testimonia selecta e Patribus Latinis (S. TROMP). in-8°, pp. 54, 1932 - Lire 4.
8. **Photius et Ecclesia Romana.** — II. A Synodo Romana (869) usque ad depositionem Photii (886) (G. HOFMANN). in-8°, pp. 52, 1932 - Lire 4.
9. **S. Leonis Magni Tomus ad Flavianum episc. Constantinopolitanum** (ep. 28) **cum Testimoniis Patrum et epistula ad Leonem I imp.** (ep. 165). — Editio nova cum introductione, notis, indicibus (C. SILVA-TAROUCA). in-8°, pp. 68, 1932 - Lire 4.

PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

TEXTUS ET DOCUMENTA

IN USUM EXERCITATIONUM ET PRAELECTIONUM ACADEMICARUM

SERIES PHILOSOPHICA

11

SANCTI AUGUSTINI DOCTRINA DE COGNITIONE

TEXTUS SELECTOS

COLLEGIT ET NOTIS INSTRUXIT

LEO W. KEELER S. I.

IN PONT. UNIV. GREG. PROF.

ROMAE

APUD AEDES PONT. UNIVERSITATIS GREGORIANAE

Piazza della Pilotta, 4

1934

IMPRIMI POTEST

Romae, 3 Febr. 1934.

P. RAPHAEL BITETTI,
Praep. prov. Rom. S. J.

IMPRIMATUR

Romae, 13 Febr. 1934

† IOSEPHUS PALICA,

ROMAE — TYPIS PONT. UNIVERSITATIS GREGORIANAE

PRAEFATIO

Ii soli, qui ipsi conati sunt aliquam partem philosophiae Sancti Augustini seorsim exponere, quam arduum sit huiusmodi opus intelligent. Non enim per partes et systematice solet Sanctus Doctor, sed veluti totam mentem suam, de qua re cumque agens, proferre. Neque etiam speculando dumtaxat philosophorum more quaestiones agitat, sed orando, corripiendo, corda commovendo, tanquam vir Christianus qui, in regno gratiae collocatus, eam salutem quae in Christo est rebus omnibus anteponit. Motiva itaque personalia, ethica, religiosa perpetuo in ejus scriptis emicant, modumque ponunt quo problemata versantur. Quo fit ut textus ad rem nostram maxime spectantes, iis locis haud raro inveniantur quibus quaestio longe alia agatur; itemque ut etiam ubi data opera de cognitione disserit, materies crebro inducat quae a scopo videntur esse alienissimae. Unde angustiae magnae in excerptis seligendis et distribuendis sub certis capitibus.

Sed profecto quia epistemologia Augustini per tot opera sparsa est et inventu adeo difficilis, non inutile fore aestimavi textus praecipuos colligere et modo systematico proponere, etiamsi integra auctoris doctrina aliquid inde detrimenti patiatur. Scholae imprimis necessitates cum prae oculis haberem, plura potius indicia et auxilia adferenda esse censui quam pauciora; ita tamen ut nulla « thesis » de vera mente Augustini in questionibus obscurioribus inculcetur. Quod si duas aliquando sententias parum congruentes proferre videtur, loci ex utraque parte citati sunt, - ii maxime ad quos solent interpretes provocare.

Textus est Benedictinorum Sancti Mauri, prout a Migne reeditus in Patrologia Latina, cuius tamen interpunctionem, vel etiam modum quaedam verba scribendi, non adamussim sum secutus. In locis dubiis consului (ubi exstát) textum Vindobonensem et Teubnerianum. Dubia aliqua graviora indicantur signo asterici (*).

Sequuntur tituli eorum operum quae in commentariis nominantur, et aliorum quorundam quae maxime huic incepto erant utilia. Bibliographia satis completa invenietur sive apud SCHMAUS sive apud GILSON. Si quis ampliorem thesaurum textuum desiderat, consulat opus ANDREAE MARTIN, infra citatum.

P. BATIFOL, *Le catholicisme de S. Aug.*, 2 vol., Paris, 1920.
M. BAUMGARTNER, *Aug.*, *Grosse Denker,* 2 ed., Leipzig, 1923.
CL. BAEUMKER, *Kultur de Gegenwart* I, v, *Patristische Phil.,* 2 ed., Leipzig, 1913.
CH. BOYER, *L'idée de vérité dans la phil. de S. Aug.*, Paris, 1920.
Christianisme et néo-plat. dans la form. de S. Aug., Paris, 1920.
Essais sur la doct. de S. Aug., Paris, 1932.
C. BUTLER, *Western Mysticism* (pp. 23-91), 2 ed., London, 1927.
F. CAYRÉ, *La contemplation augustienne,* Paris, 1927.
H. EIBL, *Aug. und die Patristik,* München, 1923.
R. EUCKEN, *Die Lebensonschauungen der grossen Denker,* 10 ed., Leipzig, 1920.
J. GEYSER, *Aug. und die phaenomenologische Religionsphil. der Gegenwart,* Münster, 1923.
E. GILSON, *Introd. à l'étude de S. Aug.*, Paris, 1929. (Inter omnia hoc opus maxime mihi profuit).
M. GRABMANN, *Der göttliche Grund menschlicher Wahrheitserkenntnis nach Aug. und Th. von Aquin,* Münster, 1924.
Die Grundgedanken des hl. Aug. über Seele und Gott, Köln, 1916.
L. GRANDGEORGE, *S. Aug. et le néo-plat.*, Paris, 1896.
G. VON HERTLING, *Augustinuszitate bei Th. von Aquin, Historische Beiträge zur Phil.* (pp. 97-151), München, 1914.
Augustin, Mainz, 1902.
J. HESSEN, *Augustinische und thom. Erkenntnislehre,* Paderborn, 1921.
Augustins Methaphysik der Erkenntnis, Berlin, 1931.
B. KÄLIN, *Die Erhenntnislehre des hl. Aug.,* Sarnen, 1920.
L. KEELER, *St. Aug. on the Problem of Error,* Thought, Dec., 1933.
A. MARTIN, *Sti. Augustini Philosophia,* nova ed., Paris, 1865.
J. MARTIN, *S. Augustin,* Paris, 1901.
Monument to St. Aug., (several contributors), London, 1930.
E. PORTALIÉ, *Dict. de théol. cath.*, art. *S. Augustin.*
B. ROMEYER, *Trois prob. de phil. augustinienne,* Arch. de phil. VII, 1, pp. 200-243.
M. SCHMAUS, *Die psychol. Trinitätslehre des hl. Aug.*, Münster, 1927.

TABULA CHRONOLOGICA BREVISSIMA

354 Natus Thagastae in Numidia.

370 Carthaginem ivit studiorum causa. Postea rhetoricam ibi docuit.

373 Lecto Hortensio Ciceronis, animum ad philosophiam convertit. Labitur in Manichaeismum, cui sectae per 9 annos adhaerebat.

383 Romam venit, rhetoricam docturus. Periodus sceptica.

383 Mediolanum profectus est, ibique rhetoricam docuit. Legit libros Platonicorum quos magnopere admiratus est.

386 «Conversio» eius. In rure Cassiciaco scripsit statim postea (vel incepit): *Contra Academicos iii*, *De Beata Vita*, *De Ordine ii*, *Soliloquia ii*, *De Immortalitate Animae*, *De Musica vi*, *Epistolas ad Nebridium* (386-390).

387 Baptizatus Mediolano a S. Ambrosio. Romam cum venisset, mortua est mater Monica (Ostiae, 387). Rediit in Africam, 388.

391 Sacerdos ordinatus. Opera scripta post baptisma et ante sacerdotium: *De Quantitate Animae*, *De Moribus Eccl. Cath. et de Moribus Manichaeorum ii*, *De Genesi contra Manichaeos ii*, *De Libero Arbitrio iii* (388-395), *De Magistro*, *De Vera Relig.*, *De Diversis Quaestionibus 83* (389-396).

396 Episcopus consecratus Hipponis Regii. Opera scripta ab A. presbytero: *De Utilitate Credendi*, *De Duabus Animabus*, *De Gen. ad Lit. liber imperf.*

412 Ab anno 396 ad 412 cc., controversiae contra Manichaeos et Donatistas. Scripta: *De Doctrina Christiana iv*, *Confessiones xiii* (400), *De Trinitate xv* (400-416), *De Genesi ad Litteram xii* (401-415), *Epistolae ad Dioscurum et ad Consentium* (410).

430 Mortuus Hippone. 412-430: Controversiae Pelagianae. Scripta: *Epis. cxlvii ad Paulinam de videndo Deo* (413), *De Civitate Dei xxii* (415-426), *In Ioannis Evang. tractatus cxxiv* (416-417), *De Anima et eius Origine ii* (420), *Enchiridion* (421), *Retractationes* (427).

N. Tabula chronologica completa operum Augustini constructa est a PORTALIÉ, *Dict. de théol. cath.*, *Augustin*, col. 2311-2314.

I

1. - Noverim me, noverim te.

De Ordine II, xviii, 47: Cuius [philosophiae] duplex quaestio est: una de anima, altera de Deo. Prima efficit ut nosmetipsos noverimus; altera ut originem nostram. Illa nobis dulcior, ista carior; illa nos dignos beata vita, beatos haec facit; prima est ista discentibus, ista iam doctis. Hic est ordo studiorum sapientiae, per quem fit quisque idoneus ad intelligendum ordinem rerum...

De Civ. Dei XIX, i, 3 (ubi refert sententiam Varronis): Quandoquidem nulla est homini causa philosophandi, nisi ut beatus sit. Quod autem beatum facit, ipse est finis boni; nulla est igitur causa philosophandi nisi finis boni [i. e. summum bonum].

De Lib. Arb. II, ix, 26: Num aliam putas esse sapientiam nisi veritatem, in qua cernitur et tenetur summum bonum?... In quantum igitur omnes homines appetunt vitam beatam, non errant. In quantum autem quisque non eam tenet vitae viam quae ducit ad beatudinem, cum se fateatur et profiteatur nolle nisi ad beatitudinem pervenire, in tantum errat... Summo autem bono assecuto et adepto, beatus quisque fit; quod omnes sine controversia volumus. Ut ergo constat nos beatos esse velle, ita nos constat velle esse sapientes; quia nemo sine sapientia beatus est.

a. *Solil.* I, i: Volventi mihi multa ac varia mecum diu, ac per multos dies sedulo quaerenti meipsum ac bonum meum, quidve mali evitandum esset... *Ibid.* I, ii, 7: A. Deum et animam scire cupio. R. Nihilne plus? A. Nihil omnino. *Ibid.* II, i, 1: Deus semper idem, noverim me, noverim te.

b. Cf. *De Civ. Dei* VIII, viii, ubi commemoratur sententia Platonis qui « non dubitat hoc esse philosophari, amare Deum ». *Conf.* V, iv: « Numquid, Domine Deus veritatis, quisquis novit ista [physica], jam placet tibi? Infelix enim homo qui scit illa omnia, te autem nescit; beatus autem qui te scit, etiamsi illa nesciat. Qui vero et te et illa novit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus est, si cognoscens te sicut te glorificet et gratias agat et non evanescat in cogitationibus suis ».

c. Inde patet quam parum sit Augustino philosophia mera speculatio rationalis, quanti momenti sint motiva ethica et religiosa, motiva cordis.

2. - Sero te amavi.

Conf. III, iv, 7 (postquam legit Hortensium Ciceronis, annos xix natus): Ille vero liber mutavit affectum meum, et ad teipsum, Domine, mutavit preces meas, et vota ac desideria mea fecit alia. Viluit mihi repente omnis vana spes, et immortalitatem sapientiae concupiscebam aestu cordis incredibili, et surgere coeperam ut ad te redirem.... 8. Quomodo ardebam, Deus meus, quomodo ardebam revolare a terrenis ad te; et nesciebam quid ageres mecum. Apud te est enim sapientia. Amor autem sapientiae nomen Graecum habet philosophiam, quo me accendebant illae litterae... hoc tamen solo delectabar in illa exhortatione, quod non illam aut illam sectam, sed ipsam quaecumque esset sapientiam ut diligerem et quaererem et assequerer et tenerem atque amplexarer fortiter, excitabar sermone illo et accendebar et ardebam; et hoc solum me in tanta flagrantia refrangebat, quod nomen Christi non erat ibi.

Conf. X, xxvi, 37: Veritas, ubique praesides omnibus consulentibus te, simulque respondes omnibus diversa consulentibus. Liquide tu respondes, sed non liquide omnes audiunt... xxvii, 38. Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua et tam nova, sero te amavi! Et ecce intus eras, et ego foris, et ibi te quaerebam, et in ista formosa quae fecisti deformis irruebam. Mecum eras, et tecum non eram. Ea me tenebant longe a te, quae si in te non essent, non essent. Vocasti et clamasti et rupisti surditatem meam. Coruscasti, splenduisti et fugasti caecitatem meam. Fragrasti, et duxi spiritum et anhelo tibi. Gustavi et esurio et sitio. Tetigisti me, et exarsi in pacem tuam.

a. Cf. *ibid.* VII, x, xx, xxi, quando legit Platonicorum scripta et Pauli Apostoli. *Contra Acad.* III, i, 1: « Negotium nostrum non leve aut superfluum, sed necessarium ac summum esse arbitror, magnopere quaerere veritatem ». *Solil.* I, i, 3: « Te invoco, Deus veritas, in quo et a quo et per quem vera sunt, quae vera sunt omnia. Deus sapientia, in quo et a quo et per quem sapiunt, qui sapiunt omnia ». II, vi, 9. « Exaudi me palpitantem in his tenebris, et mihi dexteram porrige. Praetende mihi lumen tuum, revoca me ab erroribus; te duce in me redeam et in te ». *De Ordine* II, xx, 52: « Cujus [matris] precibus indubitanter credo atque confirmo mihi istam mentem Deum dedisse, ut inveniendae veritati nihil omnino proponam, nihil aliud velim, nihil cogitem, nihil amem ».

b. Non facile invenitur veritas. *De Util. Credendi* i, 1: « Nihil est facilius, mi carissime, quam non solum se dicere, sed etiam opinari verum invenisse; sed quam reipsa difficillimum sit agnosces, ut confido, his litteris meis ». *Contra Epis. Fund.* ii, 2: « Illi in vos saeviant, qui nesciunt cum quo labore verum inveniatur, et quam difficile caveantur errores... etc. ».

c. Neminem fugit indoles illa *interioritatis* in philosophia Augustini; *De Vera Rel.* xxxix, 72: « Noli foras ire; in teipsum redi. In interiore homine habitat veritas ». Prae oculis etiam habendum est quantum eius experientia propria et errores in veritate assequenda, postea valerent ad doctrinas eius determinandas.

3. - Nisi credideritis non intelligetis.

i. Crede ut intelligas. - *De Lib. Arb.* II, ii, 6: Nisi enim aliud esset credere et aliud intelligere, et primo credendum esset, quod magnum et divinum intelligere cuperemus [agitur de Dei exsistentia], frustra propheta dixisset, ' Nisi credideritis non intelligetis ' [Is. vii, 9, Septuag.]. Ipse quoque Dominus noster et dictis et factis ad credendum primo hortatus est, quos ad salutem vocavit... Deinde iam credentibus dicit, ' Quaerite et invenietis ': nam neque inventum dici potest quod incognitum creditur, neque quisquam inveniendo Deo fit idoneus, nisi antea crediderit quod est postea cogniturus.

De Vera Rel. xxiv, 45: Quamobrem ipsa quoque animae medicina, quae divina providentia et ineffabili beneficentia geritur gradatim distincteque, pulcherrima est. Distribuitur enim in auctoritatem atque rationem. Auctoritas fidem flagitat et rationi praeparat hominem. Ratio ad intellectum cognitionemque perducit.

Quanquam neque auctoritatem ratio penitus deserit, cum consideratur cui sit credendum; et certe summae est ipsius iam cognitae atque perspicuae veritatis auctoritas. Sed quia in temporalia devenimus, et eorum amore ab aeternis impedimur, quaedam temporalis medicina, quae non scientes sed credentes ad salutem vocat, non naturae et excellentiae sed ipsius temporis ordine prior est.

De Civ. Dei XI, ii: Magnum et admodum rarum universam creaturam corpoream consideratam compertamque mutabilem intentione mentis excedere, atque ad incommutabilem Dei substantiam pervenire, et illic discere ex ipso quod cunctam naturam quae non est quod ipse, non fecit nisi ipse... Sed quia ipsa mens, cui ratio et intelligentia naturaliter inest, vitiis quibusdam tenebrosis et veteribus invalida est non solum ad inhaerendum fruendo, verum etiam ad perferendum incommutabile lumen, donec de die in diem renovata atque sanata fiat tantae felicitatis capax, fide primum fuerat imbudenda atque purganda. In qua u tfidentius ambularet ad veritatem, ipsa veritas Deus Dei Filius homine assumpto, non Deo consumpto, eandem constituit atque fundavit fidem, ut ad hominis Deum iter esset homini per hominem Deum.

a. Plurimi sunt eiusmodi loci. In *Joan. Evan.* xxxvi, 7: « Immo ideo bene creditur quia non cito capitur; nam si cito caperetur, non opus erat ut crederetur, quia videretur. Ideo credis quia non capis; sed credendo fis idoneus ut capias. Nam si non credis, nunquam capies ». *De Util. Credendi* xiv, 31: « Nam ego credere ante rationem, cum percipiendae rationi non sis idoneus, et ipsa fide animum excolere excipiendis seminibus veritatis, non solum saluberrimum judico, sed tale omnino sine quo aegris animis salus redire non possit ». In primo capite hiuus libri affirmat A. non aliam ob causam novem fere annos se Manichaeos secutum esse, « nisi quod se dicebant, terribili auctoritate separata, mera et simplici ratione eos qui se audire vellent introducturos ad Deum et errore omni liberaturos... se autem nullum premere ad fidem, nisi prius discussa et enodata veritate ». *De Mor. Eccl. Cath.* I, ii, 3: « nihilque aliud maxime dicunt [Manichaei] nisi rationem prius esse reddendam ». *Enar. in Ps.* viii, 6: « Non quod scientiae pollicitatio reprehendenda sit; sed quod gradum saluberrimum et necessarium fidei negligendum putant [scil. haeretici et philosophi gentium], per quem in aliquid certum, quod esse nisi aeternum non potest, oportet ascendi ».

b. Prae oculos habet veritates ad religionem pertinentes, quin clare distinguat inter eas quae perviae sunt rationi humanae, et eas quae ipsam excedunt. Certe dicta Augustini de prioritate fidei non possunt ad sola mysteria restringi. Animadvertit porro « nihil omnino humanae societatis incolume remanere, si nihil credere statuerimus quod non possumus tenere perceptum » (*De Util. Credendi* xii, 26; *De Civ. Dei* XI, iii), et discentes etiam disciplinas humanas solere primo magistrorum auctoritati fidere (*De Ordine* II, ix, 26; *De Quant. Animae* vii, 12).

c. Quid intersit inter scire et credere explicatur *Epist.* CXLVII (ad Paulinam) i, 6; iii, 8; *Retract.* I, xiv, 3. Sed vox fidei plus multo complectitur quam nudum mentis assensum. Oportet enim et Deo credere et *in Deum.* « Quid est ergo credere in Deum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, in ejus membris incorporari. Ipsa est ergo fides, quam de nobis exigit Deus » (In *Joan. Evan.* xxix, 6; *Sermo* cxliv, 2). Est « cordium mundatrix... qua cor mundante ad beatitudinem pervenitur » (*De Trin.* XIII, vii, 10; XV, xxiv).

d. Philosophus itaque Christianus doctrinam Catholicam fide acceptam sua meditatione perscrutatur et intelligere quantum fieri potest contendit. *De Ordine* II, v, 16: « Duplex est enim via quam sequimur cum rerum nos obscuritas movet: aut rationem aut certe auctoritatem. Philosophia rationem promittit et vix paucissimos liberat; quos tamen non modo non contemnere illa mysteria, sed sola intelligere ut intelligenda sunt cogit. Nullumque aliud habet negotium quae vera et, ut ita dicam, germana philosophia est, quam ut doceat quod sit omnium rerum principium sine principio, quantusque in eo maneat intellectus, quidve inde in nostram salutem sine ulla degeneratione manaverit: quem unum Deum omnipotentem eumque tripotentem, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum docent veneranda mysteria, quae fide sincera et inconcussa populos liberat ». *Contra Jul. Pelag.* IV, xiv, 72: « Obsecro te, non sit honestior philosophia gentium quam nostra Christiana, quae una est vera philosophia, quandoquidem studium vel amor sapientiae significatur hoc nomine ». De discrimine inter talem indagationem praelucente fide, et theologiam, cui fides praemissas et principia praebet, cf. GILSON, *Introduction,* pp. 300-302; ROMEYER, *Archives de Phil.* VII, 2, 1929, pp. 208 et sqq.

ii. Intellige ut credas. - *Sermo* xliii, 8: Putatis autem, carissimi, nihil dicere etiam illum qui icit: intelligam ut credam? Quid enim nunc agimus nisi ut credant, non qui non credunt, sed qui adhuc parum credunt? Nam si nullo modo credidissent, non hic essent... 9. Ergo, carissimi, et ille quem

contra me constitui... non nihil dicit etiam ipse cum dicit: intelligam ut credam. Nam utique modo quod loquor, ad hoc loquor ut credant qui nondum credunt; et tamen nisi quod loquor intelligant, credere non possunt. Ergo ex aliqua parte verum est quod ille dicit: intelligam ut credam; et ego qui dico, sicut dicit propheta: immo crede ut intelligas, verum dicimus*. Concordemus ergo: intellige ut credas, crede ut intelligas. Breviter dico quomodo utrumque sine controversia accipiamus: intellige ut credas verbum meum; crede ut intelligas verbum Dei.

Enar. in Ps. CXVIII, sermo xviii, 3: Quamvis enim, nisi aliquid intelligat, nemo possit credere in Deum, tamen ipsa fide qua credit sanatur ut intelligat ampliora. Alia sunt enim quae, nisi intelligamus, non credimus; et alia sunt quae, nisi credamus, non intelligimus. Nam cum fides sit ex auditu, auditus autem per verbum Christi, quomodo credit praedicanti fidem qui, ut alia taceam, linguam ipsam quam loquitur non intelligit... Proficit ergo noster intellectus ad intelligenda quae credat, et fides proficit ad credenda quae intelligat; et eadem ipsa ut magis magisque intelligantur, in ipso intellectu proficit mens.

a. Parum elaborat A. intellectum illum qui fidem debet antecedere, cum adversarios non haberet fideistas. Totus est in affirmando dictum contrarium: « Si non intellexisti, inquam, crede. Intellectus enim merces est fidei. Ergo noli quaerere intelligere ut credas, sed crede ut intelligas » *In Ioan. Evan.* xxix, 6.

b. Hic illic indicat quodnam sit opus illud praevium rationis, quod tacite semper praesupponit. *De Vera Rel.* xxv, 46: « Sed nostrum est considerare quibus vel hominibus vel libris credendum sit ad colendum recte Deum, quae una salus est », et cf. xxiv, 45, citatum sub **i.** *Epis.* CXLVII (ad Paulinam), ii, 7: « Creduntur illis quae absunt a sensibus nostris, si videtur idoneum quod eis adhibetur testimonium ». *De Praedes. Sanct.* ii, 5: « Quis enim non videat prius esse cogitare quam credere? Nullus quippe credit aliquid nisi prius cogitaverit esse credendum... cogitat omnis qui credit, et credendo cogitat, et cogitando credit ». *Epis.* CXX (ad Consen.), i, 3: « Etiam credere non possemus, nisi rationales animas haberemus... Si igitur rationabile est ut ad magna quaedam, quae capi non possunt, fides praecedat rationem, procul dubio quantulacumque ratio quae hoc persuadet, etiam ipsa antecedit fidem ».

c. *De Util. Credendi* xvi, 34: « Si enim Dei providentia non praesidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum. Sin vero et species rerum omnium, quam profecto ex aliquo verissimae pulchritudinis fonte manare credendum est, et interior nescio quae conscientia Deum quaerendum Deoque serviendum meliores quosque animos quasi publice privatimque hortatur; non est desperandum ab eodem ipso Deo auctoritatem aliquam constitutam, quo velut gradu certo innitentes, attollamur ad Deum»; de qua auctoritate constat « partim miraculis, partim sequentium multitudine ». *Ibid.* xiii, 29: accedens ad religionem debet jam *credere* Deum et esse et humanis mentibus opitulari; quod idem fere dicitur de animae immortalitate, vii, 14. Incredulis maluit indirecte quam directe probare Deum Christianorum exsistere, - scil. probando primo divinam institutionem Ecclesiae; *De Lib. Arb.* II, ii, 5; *De Civ. Dei* XIX, xxii.

d. Minime dubitat quin possit absque praevia fide humana ratio multas et sublimes veritates reperire. Philosophos Platonicos saepe laudat quod eorum placita adeo essent vicina doctrinis Christianis; extollit interdum vires et virtutes quae homini etiam lapso natura competunt (*De Civ. Dei* XXII, xxiv); seposito quovis praesupposito dogmatico Academicos refutat; incredulos passim aggreditur armis solius rationis, nulla ab eis fide praerequisita, quem tamen modum procedendi dicit esse praeposterum (*De Mor. Eccl. Cath.* I, ii, 3). Revera non sibi ponit quaestionem quid possit ratio humana per se sola. Respicit enim hominem in statu in quo de facto exsistit, lapsum scilicet et gratia elevatum et revelatione adjutum; nec ullibi conatur philosophiam elaborare quae sit a religione Catholica independens et quasi autonoma.

iii. Intellectum valde ama. *Epis.* CXX (ad Consentium) i, 3: Absit namque ut hoc in nobis Deus oderit, in quo nos reliquis animantibus excellentiores creavit. Absit, inquam, ut ideo credamus ne rationem accipiamus sive quaeramus; cum etiam credere non possemus, nisi rationales animas haberemus... 6. Haec dixerim ut fidem tuam ad amorem intelligentiae cohorter, ad quam ratio vera perducit, et cui fides animum praeparat... ii, 8. Habet namque fides oculos suos, quibus quodammodo videt verum esse quod nondum videt, et quibus certissime videt nondum se videre quod credit. Porro autem qui vera ratione jam quod tantummodo credebat intelligit, profecto praeponendus est ei qui cupit adhuc intelligere quod credit... Sic

igitur homo fidelis debet credere quod nondum videt, ut visionem et speret et amet... iii, 13. Intellectum vero valde ama; quia et ipsae Scripturae sanctae, quae magnarum rerum ante intelligentiam suadent fidem, nisi eas recte intelligas, utiles tibi esse non possunt... 14. Tu autem, carissime, ora fortiter et fideliter ut det tibi Dominus intellectum.

De Trin. XV, ii, 2: Si ergo quaesitus inveniri potest, cur dictum est 'Quaerite faciem ejus semper'? An et inventus forte quaerendus est? Sic enim sunt incomprehensibilia requirenda, ne se existimet nihil invenisse qui, quam sit incomprehensibile quod quaerebat, potuerit invenire. Cur ergo sic quaerit, si incomprehensibile comprehendit esse quod quaerit, nisi quia cessandum non est, quamdiu in ipsa incomprehensibilium rerum proficitur, et melior meliorque fit quaerens tam magnum bonum, quod et inveniendum quaeritur et quaerendum invenitur? Nam et quaeritur ut inveniatur dulcius, et invenitur ut quaeratur avidius... Fides quaerit, intellectus invenit... Et rursus intellectus eum quem invenit adhuc quaerit.

a. *Contra Acad.* III, xx, 43: « ita enim jam sum affectus, ut quid sit verum, non credendo solum, sed etiam intelligendo apprehendere impatienter desiderem ». *De Lib. Arb.* II, ix, 25: « cum id agatur inter nos ut non quid credamus respondendum sit, sed quid dilucida intelligentia tenendum sit ». *De Trin.* XV, xxviii, 51: « Ad hanc regulam fidei dirigens intentionem meam... quaesivi te, et desideravi intellectu videre quod credidi, et multum disputavi et laboravi ». Ipsi haeretici nos ad intellectum excitant, « quamdiu imperitiae nostrae tenebris delectati, dormire malumus quam lucem veritatis intueri *De Vera Rel.* viii, 15; *De Gen. contra Man.* I, i, 2.

b. De vi rationis, quam parvi facere aliquando forte videtur, *De Lib. Arb.* I, vi, 14: « Adesto animo, et rationis vias pietate fretus ingredere. Nihil est enim tam arduum atque difficile, quod non Deo juvante planissimum atque expeditissimum fiat ». *Ibid.* III, v, 13: « Credat ergo [homo] Deum fecisse quod vera ratio ab eo faciendum fuisse cognovit etiamsi hoc in rebus factis non videt... Non enim cogitatione videret faciendum, nisi in iis rationibus quibus facta sunt omnia ».

c. De intellectu quasi medio inter fidem et speciem, cf. *Enchir.* v

4. - Nonnihil scio.

i. Falsum est nihil posse percipi. - *Contra Acad.* III, x, 22: Duo sunt quae ab Academicis dicuntur, contra quae ut valemus venire instituimus: ' Nihil posse percipi ', et ' Nulli rei debere assentiri '.

23. Nihil ais in philosophia posse percipi... Tamen ego, qui longe adhuc absum vel a vicinitate sapientis, in istis physicis nonnihil scio. Certum enim habeo aut unum esse mundum aut non unum; et si non unum, aut finiti numeri aut infiniti. Istam sententiam Carneades falsae esse similem doceat. Item scio mundum istum nostrum aut natura corporum aut aliqua providentia esse dispositum... Et innumerabilia physica hoc modo novi. Vera enim ista sunt disjuncta, nec similitudine aliqua falsi ea potest quisquam confundere.

xi, 24. Unde, inquit, scis esse istum mundum, si sensus falluntur? Nunquam rationes vestrae ita vim sensuum refellere potuerunt, ut convinceretis nobis nihil videri; nec omnino ausi estis aliquando ista tentare; sed posse aliud esse ac videtur vehementer persuadere incubuistis. Ego itaque hoc totum, qualecumque est... quod oculis meis apparet... mundum voco. Si dicis nihil mihi videri, nunquam errabo... Si autem hoc quod mihi videtur negas mundum esse, de nomine controversiam facis, cum id a me dixerim mundum vocari.

25. Quamobrem hoc dico: istam totam corporum molem atque machinam in qua sumus, sive dormientes sive furentes sive vigilantes sive sani, aut unam esse aut non esse unam... Si autem unus et sex mundi sunt, septem mundos esse, quoquo modo affectus sum, manifestum est, et id me scire non impudenter affirmo. Quare vel hanc connexionem, vel illas superiores disjunctiones, doce somno aut furore aut vanitate sensuum posse esse falsas; et me, si expergefactus ista meminero, victum esse concedam. Credo enim jam satis liquere quae per somnium et dementiam falsa videantur, ea scilicet quae ad corporis sensus pertinent. Nam ter terna novem esse et quadratum intelligibilium numerorum, necesse est vel genere humano stertente sit verum.

Contra Acad. III, xiii, 29: An de dialectica nihil scire potuisti? Ego vero plura quam de quavis parte philosophiae. Nam primo omnes illas propositiones, quibus supra usus sum, veras esse ista me docuit. Deinde per istam novi alia multa vera. Sed quam multa sint numerate si potestis. Si quattuor in mundo elementa sunt, non sunt quinque. Si sol unus est, non sunt duo. Non potest una anima et mori et esse immortalis. Non potest homo simul et beatus et miser esse... Docuit me [dialectica] si cujus eorum, quae per connexionem modo proposui, pars antecedens assumpta fuerit, trahere necessario id quod annexum est. Ea vero quae per repugnantiam vel disjunctionem a me sunt enuntiata, hanc habere naturam ut, cum auferuntur caetera, sive unum sive plura sint, restet aliquid quod eorum ablatione firmetur.

ii. Assensus non semper cohibendus. - *Contra Acad.* III, xiv, 30: Jam ergo ad [alteram] partem veniamus... Quid autem amplius desiderem nihil habeo, si jam probabile est nonnihil scire sapientem... Est enim sine dubitatione monstruosius sapientem non approbare sapientiam, quam sapientem nescire sapientiam.

xiv, 32. Ergo arbitror ego sapienti certam esse sapientiam, i. e. sapientem percepisse sapientiam, et ob hoc eum non opinari cum assentitur sapientiae; assentitur enim ei rei, quam si non percepisset, sapiens non esset... Cum igitur et scit sapientiam et assentitur sapientiae, neque nihil scit, neque nulli rei sapiens assentitur.

Ibid. xvi, 35: Quid si ergo aliquis adolescentium cum hos audierit dicentes: turpe est errare, et ideo nulli rei consentire debemus; sed tamen cum agit quisque quod ei videtur probabile, nec peccat nec errat; illud tantum meminerit, quidquid occurrit vel animo vel sensibus non pro vero esse approbandum... 36. Illud est capitale, illud formidolosum, illud optimo cuique metuendum, quod nefas omne, si haec ratio probabilis erit (cum probabile cuiquam fuerit esse faciendum, tantum nulli quasi vero assentiatur), non solum sine sceleris sed etiam sine erroris vituperatione committat.

a. Jacit etiam A. notissimum illud telum Stoicorum: « qui nihil approbat, nihil agit » (III, xv, 33).

b. Non est lusus puerilis haec polemica contra Academicos. II, ix, 22: « De vita nostra, de moribus, de animo res agitur ». Eos magni fecit, utpote Platonicos qui veram ipsorum sententiam dissimularent; III, xvii, et al. In I *Epis.* (ad Hermog.) i, « Academicos, ait, ego ne inter jocandum quidem unquam lacessere auderem », quam utique admirationem postea compescuit. Recolendum est A. eos aliquamdiu prae ceteris philosophis approbasse. Porro ad hoc primum opus quod reversus ad Ecclesiam scripsit, jam senior refert lectorem tanquam ad refutationem victricem scepticorum; *De Trin.* XV, xv, 25; *Enchir.* xx, ubi adjungit: « Et utique fuerat removenda inveniendae desperatio veritatis, quae illorum videtur argumentis roborari ».

c. Videtur hic sensibus concedere valorem solummodo phaenomenalem,-certitudinem praestant de rebus non ut sunt, sed ut nobis apparent; III, xi, 26. De qua re postea. Satis sit hic animadvertere non ibi esse veram quaestionem. « Quidquid enim contra sensus ab eis disputatur, non contra omnes philosophos valet. Sunt enim qui ista omnia, quae corporis sensu accipit animus, opinionem posse gignere confitentur, scientiam vero negant; quam tamen volunt intelligentia contineri, remotamque a sensibus in mente vivere ». Valeant dicta Carneadis contra sensismum Stoicorum et Epicureorum; veros Platonicos non feriunt. Refutat enim A. Academicos ostendendo nos habere intuitus intellectuales veritatis. De tota hac disputatione cf. BOYER, *L'idée de vérité chez S. Aug.*, Ch. I.

d. In *Solil.* ter adducit argumentum quod sequitur, ad monstrandum veritatem perire non posse: « R. Si manebit semper mundus iste, verum est mundum semper mansurum esse? A. Quis hoc dubitet. R. Quid si non remanebit? nonne ita verum est mundum non esse mansurum? A. Nihil resisto. R. Quid cum interierit, si interiturus est? nonne tunc id erit verum, mundum interiisse?... A. Et hoc concedo. R. Quid illud? Videturne tibi verum aliquid esse posse, ut veritas non sit? A. Nullo modo. R. Erit igitur veritas, etiamsi mundus intereat. A. Negare non possum. R. Quid si veritas ipsa occidat? nonne verum erit veritatem occidisse? A. Et istud quis negat? R. Verum autem non potest esse, si veritas non sit. A. Jam hoc paulo ante concessi. R. Nullo modo igitur occidat veritas » (II, ii, 2; xv, 28; I, xv, 29). De sensu hic vocis *veritatis*, quae valde anceps est apud A., cf. *Solil.* II, xi, 21: « Quisnam igitur mirum putabit si ea qua vera sunt omnia, per se ipsa et in se ipsa vera sit veritas ». De ipso argumento, cf. S. THOMAM, I *Sum.* xvi, a. 7, corpus et ad 4; *De Ver.* I, i, a. 5, ad 2.

5. - Qui dubitat aliquid novit.

i. Nisi esses, falli non posses. - *De Lib. Arb.* II, iii, 7 (Quaeritur quomodo constet Deum esse): A. Quare prius abs te quaero, ut de manifestissimis capiamus exordium, utrum tu ipse sis. An tu forte metuis ne in hac interrogatione fallaris, cum utique si non esses, falli omnino non posses? E. Perge potius ad caetera. A. Ergo quoniam manifestum est esse te, nec tibi aliter manifestum esset nisi viveres, id quoque manifestum est, vivere te. Intelligisne ista duo esse verissima? E. Prorsus intelligo. A. Ergo etiam hoc tertium manifestum est, hoc est, intelligere te. E. Manifestum. A. Quid in his tribus tibi videtur excellere? E. Intelligentia. A. Cur tibi hoc videtur? E. Quia cum tria sint haec... qui intelligit, eum et esse et vivere certissimum est.

De Vera Rel. xxxix, 73 (postquam exposuit ascensum animae ad Veritatem): Aut si non cernis quae dico, et an vera sint dubitas, cerne saltem utrum te de iis dubitare non dubites; et si certum est te esse dubitantem, quaere unde sit certum. Non illic tibi, non omnino solis hujus lumen occurret, sed lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum... Deinde regulam ipsam quam vides concipe hoc modo: omnis qui se dubitantem intelligit, verum intelligit, et de hac re quam intelligit, certus est. Omnis igitur qui utrum sit veritas dubitat, in seipso habet verum unde non dubitet; nec ullum verum nisi veritate verum est. Non itaque oportet eum de veritate dubitare, qui potuit undecumque dubitare.

De Trin. X, x, xiv (Quia nihil « tam menti adest quam ipsa mens », quomodo quaerit seipsam erratque de sua natura?): Sed quoniam de natura mentis agitur, removeamus a consideratione nostra omnes notitias quae capiuntur extrinsecus per sensus corporis; et ea quae posuimus omnes mentes de seipsis nosse certasque esse diligentius attendamus. [Utrum vis vivendi et cogitandi in nobis competat aeri, igni, ipsi corporis compagini dubitaverunt homines]. Vivere se tamen et meminisse et intelligere et velle et cogitare et scire et judicare quis dubitet? Quandoquidem etiam si dubitat, vivit; si dubitat, unde dubitet meminit; si dubitat,

dubitare se intelligit; si dubitat, certus esse vult; si dubitat, cogitat; si dubitat, scit se nescire; si dubitat, judicat non se temere consentire oportere. Quisquis igitur aliunde dubitat, de his omnibus dubitare non debet: quae si non essent, de ulla re dubitare non posset.

De Trin. XV, xii, 21 (contra Academicos): Exceptis enim quae in animum veniunt a sensibus corporis, in quibus tam multa aliter sunt quam videntur... quantum rerum remanet quod ita sciamus sicut nos vivere scimus? In quo prorsus non metuimus ne aliqua verisimilitudine forte fallamur, quoniam certum est etiam eum qui fallitur vivere... Intima scientia est qua nos vivere scimus, ubi ne illud quidem Academicus dicere potest: fortasse dormis... furis fortassis et nescis; quia sanorum visis simillima sunt etiam visa furentium. Sed qui furit vivit; nec contra Academicos dicit: scio me non furere, sed scio me vivere. Nunquam ergo falli nec mentiri potest, qui se vivere dixerit scire.

a. Praeclarum Augustini inventum. Vix subobscure innuitur in libris *Contra Acad.*, III, ix, 19; paulo magis in *Solil.* II, i, 1; *De Beata Vita* ii; *De Lib. Arb.* I, vi, 16. Clare apparet in *De Lib. Arb.* II, iii, 7. Tota sua amplitudine explicatur in operibus posterioribus: *De Trin.* X, x, XIV, vi, XV, xii; *De Gen. ad Lit.* VII, xxi, 28; cf. etiam *Enchir.* xx. Nequaquam igitur est cogitatum quasi obiter ab A. emissum, cujus momentum non perspexerit. Non minus quam Cartesius ejus momentum intellexit idque exponit modo valde analogo.

b. Manifestissime agitur de intuitu immediato; cf. *De Trin.* IX, iii, 3: « aut si quisquam dicit ex notitia generali vel speciali mentem credere se esse talem quales alias experta est, et ideo amare se ipsam, insipientissime loquitur ». Notatu dignum est hoc imprimis secundum A. scire hominem qui dubitat, se *vivere*.

c. Textibus jam citatis ex facto quod dubitamus non tantum elucet nos aliquid certo scire, sed multa exposita sunt quae vel eo ipso vel exinde cognoscimus: nos esse, vivere, cogitare, velle; praestantius esse intelligere quam exsistere et vivere; qualis sit et non sit ipsa mens quae dubitat; quomodo statim ex dubio ad certitudinem de Veritate subsistente et illuminante assurgendum. Quare alios textus hoc loco subjungemus qui naturam animae cogitantis ex ipsa ejus cogitatione evolvunt.

ii. Qualis sit anima quae dubitat. - *De Trin.* X, x, 16 (Qui falsa sentiunt de natura animae, dicunt eam esse vel corpus vel compositionem seu temperationem corporis): Qui omnes non advertunt mentem nosse se etiam cum quaerit se, sicut jam ostendimus. Nullo modo autem recte dicitur sciri aliqua res, dum ejus ignoratur substantia. Quapropter cum se mens novit, substantiam suam novit; et cum de se certa est, de substantia sua certa est. Certa est autem de se, sicut convincunt ea quae supra dicta sunt. [Cf. x, xiv, citatum sub **i**]. Nec omnino certa est utrum aer an ignis sit, an aliquod corpus vel aliquid corporis. Non est igitur aliquid eorum; totumque illud quod se jubetur ut noverit, ad hoc pertinet ut certa sit non se esse aliquid eorum de quibus incerta est, idque solum esse se certa sit quod solum esse se certa est. Sic enim cogitat ignem aut aerem, et quidquid aliud corporis cogitat. Neque ullo modo fieri posset ut ita cogitaret id quod ipsa est, quemadmodum cogitat id quod ipsa non est... Non per imaginale figmentum, sicut cogitantur absentia... sed quadam interiore non simulata sed vera praesentia (non enim quidquam illi est seipsa praesentius), sicut cogitat vivere se, et meminisse et intelligere et velle se. Novit enim haec in se, nec imaginatur quasi extra se illa sensu tetigerit... quidquid ei de se remanet, hoc solum ipsa est.

De Gen. ad Lit. VII, xxi, 28: Nec ipsa [anima] sibi tale aliquid [corporeum] occurrit, cum se nescire non possit, etiam quando se ut cognoscat inquirit. Cum enim se quaerit, novit quod se quaerat, quod nosse non posset si se non nosset. Neque enim aliunde se quaerit quam a seipsa. Cum ergo quaerentem se novit, se utique novit; et omne quod novit tota novit. Cum itaque se quaerentem novit, tota se novit; ergo et totam se novit; neque enim aliquid aliud, sed seipsam tota novit... Desinat ergo nunc interim suspicari se esse corpus; quia si aliquid tale esset, talem se nosset, quae magis se novit quam caelum et terram, quae per sui corporis oculos novit.

De Trin. XIV, vi, 8: Tanta est tamen cogitationis vis, ut nec ipsa mens quodam modo se in conspectu suo ponat, nisi quando se cogitat; ac per hoc ita nihil in conspectu mentis est nisi unde cogitatur, ut nec ipsa mens, qua cogitatur quidquid

cogitatur, aliter possit esse in conspectu suo nisi seipsam cogitando. Quomodo autem, quando se non cogitat, in conspectu suo non sit, cum sine se ipsa nunquam esse possit, invenire non possum... Proinde restat ut aliquid pertinens ad ejus naturam sit conspectus ejus, et in eam, quando se cogitat, non quasi per loci spatium sed incorporea conversione revocetur; cum vero non se cogitat, non sit quidem in conspectu suo, nec de illa suus formetur obtutus, sed tamen noverit se tanquam ipsa sit sibi memoria sui.

a. Breviter: Anima non est quid corporale. Etenim quia se intuetur, novit certo et immediate quid ipsa sit. Atqui non habet talem notitiam cujusvis corporis, nec certo et immediate novit se esse corpus. Ergo non est corpus; sed est id tantum quod clare percipit se esse, i. e. substantia quae vivit, meminit, intelligit, vult. Cf. DESCARTES, *Med.* II et VI, *Adam et Tann.* VII, pp. 27-28, 56.

b. Ad animam infantis quod spectat, cf. *De Trin.* XIV, v, 7; *De Civ. Dei* XXII, xiv, 3 init.

6. - Ascensus animae ad Deum.

Conf. VII, xvii, 23: Quaerens enim unde approbarem pulchritudinem corporum sive caelestium sive terrestrium, et quid mihi praesto esset integre de mutabilibus judicanti et dicenti: hoc ita esse debet, illud non ita; hoc ergo quaerens unde judicarem, cum ita judicarem, inveneram incommutabilem et veram veritatis aeternitatem supra mentem meam commutabilem. Atque ita gradatim a corporibus ad sentientem per corpus animam, atque inde ad ejus interiorem vim, cui sensus corporis exterioris nuntiaret, et quousque possunt bestiae; atque inde rursus ad ratiocinantem potentiam, ad quam refertur judicandum quod sumitur a sensibus corporis. Quae se quoque in me comperiens mutabilem, erexit se ad intelligentiam suam, et abduxit cogitationem a consuetudine, subtrahens se a contradicentibus tribus phantasmatum, ut inveniret quo lumine aspergeretur, cum sine ulla dubitatione clamaret incommutabile praeferendum esse mutabili, unde nosset ipsum incommutabile, quod nisi aliquo modo nosset, nullo modo illud mutabili certo praeponeret; et pervenit ad id quod est in

ictu trepidantis aspectus. Tunc vero 'invisibilia tua per ea quae facta sunt intellecta' conspexi, sed aciem figere non evalui, et repercussa infirmitate redditus solitis non mecum ferebam nisi amantem memoriam et quasi olfacta desiderantem quae comedere nondum possem.

Conf. IX, x, 24 (colloquium Ostiense): Cumque ad eum finem sermo perduceretur, ut carnalium sensuum delectatio quantalibet in quantalibet luce corporea prae illius vitae jucunditate non comparatione, sed ne commemoratione quidem digna videretur, erigentes nos ardentiore affectu in id ipsum, perambulavimus gradatim cuncta corporalia et ipsum caelum, unde sol et luna et stellae lucent super terram. Et adhuc ascendebamus interius cogitando et loquendo et mirando opera tua, et venimus in mentes nostras; et transcendimus eas, ut attingeremus regionem ubertatis indeficientis, ubi pascis Israel in aeternum veritate pabulo; et ibi vita sapientia est, per quam fiunt omnia ista, et quae fuerunt et quae futura sunt; et ipsa non fit, sed sic est ut fuit, et sic erit semper. Quin potius fuisse et futurum esse non est in ea, sed esse solum, quoniam aeterna est; nam fuisse et futurum esse non est aeternum. Et dum loquimur et inhiamus illi, attingimus eam modice toto ictu cordis. Et suspiravimus et reliquimus ibi religatas primitias spiritus; et remeavimus ad strepitum oris nostri, ubi verbum et incipitur et finitur. Et quid simile Verbo tuo, Domino nostro, in se permanenti sine vetustate, atque innovanti omnia?

a. Doctrinam suam de cognitione exponit maxime A. secundum momenta hujus ascensus, ita ut potissimum quaeratur quomodo Deum noverimus. Sed ascensus ille complectitur insuper et doctrinam de gratia et mysticam Augustini. Pluries evolvitur, cum fusius tum brevius; cf. *De Lib. Arb.* II, iii-xiii (elaboratio plenissima); *De Vera Rel.* xxxix, 73 (a certitudine de dubio meo repente ad Deum, cf. supra, **5, i**); *Conf.* X, vi et sqq. (ubi introducitur longa inquisitio de memoria); *Enar. in Ps.* xli, 7 et sqq.; *De Civ. Dei* VIII, vi (quomodo Platonici gradibus ascendant).

b. Ad integrum ascensum pertinet refutatio sceptismi et constatatio me nonnulla scire eo ipso quod dubito; cf. *De Lib. Arb.* et *De Vera Rel.*, loc. cit. Sed plerumque, illo gressu praesupposito, incipit a mundo corporeo; non ita tamen ut extemplo inde ad Dei existentiam evolet vi principii causalitatis. Otiosiorem viam et suaviorem praeoptat, cujus

meatus per animam nostram conducunt. Minus enim conatur vi dialectica assensum cogere quam paulatim et gradatim totum hominem manuducere. Quare nunc in hoc nunc in illo stadio diutius dimoratur, vel etiam rem jam antea explicatam, omissis ambagibus, brevissime conficit. Cf. GILSON, *Introduction*, pp. 12-29.

c. Methodum illam procedendi « gradibus quibusdam infirmo gressui nostro accomodatis » (*De Mag.* viii, 21) Platonicis attribuit; *De Civ. Dei* VIII, vi. Principium secundum quod ascensus perficitur est hoc: « qui judicat eo de quo judicat esse meliorem »; *De Lib. Arb.* II, v, 12 et al. Ratiocinatio ipsa ad hoc fere constringi potest: nonnihil verum novimus; ergo exsistit Deus; cf. *De Vera Rel.* xxxix, 73.

II

7. - De visione corporali, i. e. per sensus externos.

i. **Quid sensus.** - *De Quant. Animae* xxiii, 41: A. Respondeas mihi, quidnam tibi videtur iste esse sensus quo anima per corpus utitur... Vellem autem definiri mihi abs te, quid sit ipse sensus, ut eadem definitione omnia illa [scil. quinque sensus] includerentur, neque aliud quidquam quod sensus non esset in ea intelligeretur.... Attende ergo: nam sensum puto esse, non latere animam quod patitur corpus. xxv, 48. Cur ergo dubitas quid illi definitioni sit addendum? E. Jam video sic esse definiendum, ut sensus sit passio corporis per seipsam non latens animam; nam et omnis sensus hoc est, et omne hoc, ut opinor, sensus est. xxx, 58. E. Manet ergo illa definitio tuta et probata? A. Manet vero.

a. Loci praecipui de cognitione sensibili: *De Quant. An.* xxiii-xxx (quid sit sentire); *De Mus.* VI (corpus non agit in animam); *De Lib. Arb.* II, iii-vii (sensus interior); *De Trin.* XI (trinitates in homine exteriore); *De Gen. ad Lit.* XII (tria genera visionum). Cf. KÄLIN, *Die Erkenntnislehre des Hl. A.*, I Teil; GILSON, *Introduction* I, Ch. iv.

b. Additur definitioni illud « per seipsam », quia passione corporis potest animae manifestari aliquid quod non sentitur, v. g., viso fumo, ignis non visus cognoscitur adesse; item, « cum crescimus vel senescimus, neque id nos ullo sensu sentire manifestum est, nec id tamen animam latet » (xxv, 48). Dicitur « non latere », quoniam hoc commune est sensui et intellectui (xxx, 58). Vis definitionis clarius patebit textibus infra citatis.

c. *De Trin.* IX, xii, 18: « Liquido tenendum est quod omnis res quamcumque cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui. Ab utroque enim cognitio paritur, a cognoscente et cognito ». Nulla oritur sensatio organo non affecto ab aliquo corpore, nec ullam imaginem fingere pos-

sumus, cujus partes et elementa non habita sunt mediantibus sensibus. *De Trin.* XI, ii, 3: « ex corpore quod videtur gignitur visio », « ex visibili et vidente gignitur visio »; et cf. *ibid.* viii, 13.

d. Definitio recitata satis innuit subjectum quod sentit esse ipsam animam. Quae sententia saepe inculcatur: « quia et sentire et meminisse animae est » (*De Mus.* VI, iv, 7); « quoniam sentire non est corporis, sed animae per corpus » (*De Gen. ad Lit.* III, v, 7); « neque enim corpus sentit, sed anima per corpus, quo velut nuntio utitur ad formandum in seipsa quod extrinsecus annuntiatur » (*Ibid.* XII, xxix, 50); « animae enim est dolere, non corporis, etiam quando ei dolendi causa exsistit a corpore, cum in eo loco dolet ubi laeditur corpus ». In *Retract.* I, i, 2, corrigit locutiones quibus dixit oculos videre, aures audire, etc.: « Est enim sensus et mentis; sed eorum more tunc loquebar, qui sensum nonnisi corporis dicunt et sensibilia nonnisi corporalia ».

ii. Anima sentiendo non patitur a corpore. *De Mus.* VI, v, 8: Verumtamen... diligenter considerandum est utrum revera nihil sit aliud quod dicitur audire, nisi aliquid a corpore in anima fieri. Sed perabsurdum est fabricatori corpori materiam quoquo modo animam subdere. Neque enim anima est corpore deterior, et omnis materia fabricatore deterior. Nullo modo igitur anima fabricatori corpori est subiecta materies. Esset autem si aliquos in ea numeros corpus operetur. Non ergo, cum audimus, fiunt in anima numeri ab iis quos in sonis cognoscimus. ⟨Cujus rei quamvis claudicet explicatio nostra⟩ non tamen ideo ista certiora de manibus debemus amittere.

De Gen. ad Lit. XII, xvi, 33: Hic exsistit quiddam mirabile, ut cum prior sit corpore spiritus, et posterior corporis imago quam corpus, tamen quia illud quod tempore posterius est fit in eo quod natura prius est, praestantior sit imago corporis in spiritu quam ipsum corpus in substantia sua. Nec sane putandum est facere aliquid corpus in spiritu, tanquam spiritus corpori facienti materiae vice subdatur. Omni enim modo praestantior est qui facil, ea re de qua aliquid facit; nec ullo modo spiritu praestantius est corpus, - immo perspicuo modo spiritus corpore. Quamvis ergo prius videamus aliquod corpus, quod antea non videramus, atque inde incipiat imago ejus esse in spiritu nostro, quo illud cum absens fuerit recordemur: tamen eandem ejus imaginem non corpus in spiritu, sed ipse spiritus in seipso facit celeritate mirabili.

a. Ut melius intelligantur excerpta ex *De Musica* VI, haec attendantur: distinctis jam in quolibet versu quinque generibus numerorum, vid. sonantium, auditorum, prolatorum, recordatorum, judicialium (ii-iv), vult A. eorum excellentiam invicem determinare. Oritur difficultas praecipua de numeris extra sonantibus et sensu auditis; quibus si regula generalis « facientes factis jure anteponuntur » ita applicatur ut numeri sonantes praeferantur auditis, sequeretur sonum in corpore meliorem esse sono in anima, et praesupponendum erat corpus posse aliquid in animum agere. In textu citato pergit negando hoc praesupponi posse.

iii. Quid sit sentire indagatur diligentius. *De Mus.* VI, v, 9: Cito dicam quid sentio... Ego enim ab anima hoc corpus animari non puto, nisi intentione facientis. Nec ab isto quidquam illam pati arbitror, sed facere de illo et in illo tanquam subjecto divinitus dominationi suae: aliquando tamen cum facilitate operari, quanto pro ejus meritis magis minusve illi cedit natura corporea. Corporalia ergo quaecumque huic corpori ingeruntur aut objiciuntur extrinsecus, non in anima sed in ipso corpore aliquid faciunt, quod operi ejus aut adversetur aut congruat. Ideoque cum renuitur adversanti, et materiam sibi subjectam in operis sui vias difficulter impingit, fit attentius ex difficultate in actionem; difficultas propter attentionem cum eam non latet, sentire dicitur, et hoc vocatur dolor aut labor. Cum autem congruit quod infertur aut adjacet, facile totum id vel ex eo quantum opus est, in sui operis itinera traducit. Et ista ejus actio, qua suum corpus convenienti extrinsecus corpori adjungit, quoniam propter quiddam adventitium attentius agitur, non latet, sed propter convenientiam cum voluptate sentitur. [Explicatur itidem quid sit famis et sitis, cruditas, aegrotatio].

10. Et ne longum faciam, videtur mihi anima, cum sentit in corpore, non ab illo aliquid pati, sed in ejus passionibus attentius agere, et has actiones, sive faciles propter convenientiam sive difficiles propter inconvenientiam, non eam latere: et hoc totum est quod sentire dicitur. Sed iste sensus, qui etiam dum nihil sentimus inest tamen, instrumentum est corporis, quod ea temperatione agitur ab anima, ut in eo sit ad passiones corporis cum attentione agendas paratior, similia similibus ut adjungat, repellatque quod noxium est. Agit porro, ut opinor, luminosum ali-

quid in oculis, aerium serenissimum et mobilissimum in auribus..., agit haec anima cum quiete, si ea quae insunt in unitate valetudinis, quasi familiari quadam consensione cesserunt. Cum autem adhibentur ea quae nonnulla, ut ita dicam, alteritate corpus afficiunt, exserit attentiores actiones, suis quibusque locis atque instrumentis accomodatas: tunc videre, vel audire, vel olfacere, vel gustare, vel tangendo sentire dicitur; quibus actionibus congrua libenter associat, et moleste obsistit incongruis. Has operationes passionibus corporis puto animam exhibere cum sentit, non easdem passiones recipere.

11. Cum ergo id quod in eo membro [aure] simile est aeri moveatur aere percusso, animam illam, quae ante istum sonum vitali motu in silentio corpus aurium vegetabat, num putamus cessare posse ab opere movendi quod animat, aut eodem modo movere commotum extrinsecus aerem auris suae, quo movebat antequam ille illaberetur sonus?... Hos autem aliter movere, nonne fatendum est *facere* esse, non *pati?*

12. Hae sunt operationes quas adhibet anima praecedentibus passionibus corporis, quae delectant eam associantem, offendunt resistentem. Cum autem ab eisdem suis operationibus aliquid patitur, a seipsa patitur, non a corpore; sed plane cum se accomodat corpori. Et ideo apud seipsam minus est, quia corpus semper minus quam ipsa est.

13. Sicut est affectio corporis quae sanitas dicitur: nulla quippe attentione nostra opus habet, non quia nihil tunc agit anima in corpore, sed quia nihil facilius agit.

15. Cum igitur ipsum sentire movere sit corpus adversus illum motum qui in eo factus est, nonne existimas ideo nos non sentire cum ossa et ungues et capilli secantur... quia minus libero aere penetrantur, mobili scilicet elemento...?

De Gen. ad Lit. XII, xvi, 33: tamen eandem eiu [objecti] imaginem non corpus in spiritu, sed ipse spiritus in seipso facit celeritate mirabili, quae ineffabiliter longe est a corporis tarditate; cujus imago mox ut oculis visum fuerit, in spiritu videntis nullius puncti temporis interpositione formatur.

xxiii, 49. Quod autem nunc insinuare satis arbitror, certum est esse spiritualem quamdam naturam in nobis, ubi corporalium

rerum formantur similitudines; sive cum aliquod corpus sensu corporis tangimus, et continuo formatur ejus similitudo in spiritu memoriaque reconditur; sive cum absentia corpora jam nota cogitamus, ut ex eis formetur quidam spiritualis aspectus...

xxiv, 51. Quamvis in eadem anima fiant visiones... praestantior est visio spiritualis quam corporalis, et rursus praestantior intellectualis quam spiritualis. Corporalis enim visio sine spirituali esse non potest: quandoquidem momento eodem quo corpus sensu corporis tangitur, fit etiam in animo tale aliquid, non quod hoc sit sed quod simile sit; quod si non fieret, nec sensus ille esset, quo ea quae extrinsecus adjacent sentiuntur. Neque enim corpus sentit, sed anima per corpus, quo velut nuntio utitur ad formandum in seipsa quod extrinsecus nuntiatur. Non potest itaque fieri visio corporalis, nisi etiam spiritualis simul fiat; sed non discernitur nisi cum fuerits ensus ablatus a corpore, ut id quod per corpus videbatur inveniatur in spiritu.

a. Haec theoria sensationis propria est Augustino et originalis. Recurrit explicite in *De Gen. ad Lit.* XII (a. d. 415 cc.), nec quidquam ejus notatum est in *Retractationibus.* Sed aliis etiam locis clare innuitur, v. g. *De Gen. ad Lit.* III, v, 7; *ibid.* VII, xix, 25: « Et cum afflictiones corporis moleste sentit, actionem suam qua illi regendo adest, turbato ejus temperamento impediri offenditur, et haec offensio dolor vocatur ».

b. Duo prima quae citavimus excerpta ex *De Gen. ad Lit.* XII, respiciunt directe visionem quam A. vocat spiritualem. Tria enim distinguit genera visionum: corporale, spirituale, intellectuale. « Primum ergo appellemus corporale, quia per corpus percipitur, et corporis sensibus exhibetur. Secundum spirituale; quidquid enim corpus non est, et tamen aliquid est, jam recte spiritus dicitur; et utique non est corpus, quamvis corpori similis sit, imago absentis corporis, nec ille ipse obtutus quo cernitur » (vii, 16). Spiritus de quo hic agitur est « vis animae quaedam mente inferior, ubi corporalium rerum similitudines exprimuntur » (ix, 20). « Cum enim legitur, 'Diliges proximum tuum tanquam teipsum', corporaliter litterae videntur, spiritualiter proximus cogitatur, intellectualiter dilectio conspicitur » (xi, 22). Sed quid praecise sit visio corporalis, ac proinde quomodo differat a spirituali, non est omnino clarum. Aliquando videtur esse nonnisi ipsius organi affectio; (cf. KÄLIN, *op. cit.*, p. 9: « Non est nisi organi alteratio »). Saepius includit obtutum animae quae cernit hanc alterationem, i. e. sensatione consciam. Sed anima non potest ita aliquid sentire quin imaginem ejus sibi efformet, quod jam

ad visionem spiritualem dicitur pertinere. Utique « corporalis visio sine spirituali esse non potest » (*De Gen. ad Lit.* XII, xxiv, 51), « cum aliquid oculis cernitur, continuo fit imago eius in spiritu » (*Ibid.* xi, 22); sed quid esset illud « oculis cernere », sublata imagine in spiritu?

c. Non immediate agit anima in corpus humidum et terrenum, sed mediantibus elementis subtilioribus; *De Gen. ad Lit.* III, v, 7: « Anima tamen, cum corporea non sit, per subtilius corpus agitat vigorem sentiendi. Inchoat itaque motum in omnibus sensibus a subtilitate ignis, sed non in omnibus ad idem pervenit ». *Ibid.* VII, xix, 25: « Per lucem tamen et aerem... tanquam per ea quae spiritu similiora sunt, corpus administrat ». *Ibid.* XII, xvi, 32. De quinque sensibus et de sensibilibus communibus, cf. *De Lib. Arb.* II, iii, 8. Inter omnes eminet visus, qui « se foras porrigit, et per oculos emicat longius quaquaversum potest lustrare quod cernimus » *De Quant. An.* xxiii, 43); oculi enim foras emittunt radios lucis, mediantibus quibus anima videt obiecta ab oculis distantia. *De Gen. ad Lit.* I, xvi, 31; IV, xxxiv, 54; *De Trin.* IX, iii, 3 (« quod subtilissime obscurissimeque disseritur »).

d. Locis citatis patet Augustinum modo magis Platonico quam Aristotelico concipere modum unionis animae et corporis quem ipse profitetur esse « omnino mirum, nec comprehendi ab homine posse » (*De Civ. Dei,* XXI, x, 1). Certe aggreditur Platonicos dicentes verum hominem esse solam animam, corpus vero in se malum esse. « Non totus homo, sed pars melior hominis est anima » (*De Civ. Dei,* XIII, xxiv). « Quisquis ergo a natura humana corpus alienare vult, desipit » *De An. et eius Orig.* IV, ii, 3. Et in *De Trin.* XV, vii, 11, proponit definitionem hominis plane Peripateticam: « Homo est substantia rationalis constans ex anima et corpore». Attamen refert sine scandalo locutiones illas Platonicas de equite in equo, de gubernatore et navi, de auriga et bigis, de homine et indumento, de domina et servo; anima (utique lapsa) praegravatur corpore, oneratur mortalibus membris; corpus administrat, regit, ornat, eoque utitur; definitur animus « substantia quaedam ratione particeps, regendo corpori accomodata » *De Quant. An.* xiii, 22); et homo « anima rationalis, mortali atque terreno utens corpore » (*De Mor. Eccl. Cath.* I, xxvii, 52), vel etiam « anima rationalis habens corpus » (*In Ioan. Evan.* XIX, 15).

iv. Dependentia a memoria. *De Mus.* VI, viii, 21: In audienda itaque vel brevissima syllaba, nisi memoria nos adiuvet, ut eo momento temporis quo iam non initium sed finis syllabae sonat, maneat ille motus in animo qui factus est cum initium ipsum sonuit, nihil nos audisse possumus dicere. Hinc est illud

quod plerumque alia cogitatione occupati, coram loquentes non nobis videmur audisse: non quia occursores illos numeros non agit tunc anima, cum sine dubio sonus ad aures perveniat, et illa in passione corporis sui cessare non possit, nec possit nisi aliter moveri quam si illa non fieret; sed quia intentione in aliud subinde exstinguitur motionis impetus, qui si maneret, in memoria utique maneret, ut nos et inveniremus et sentiremus audisse... Siquidem nec in ipsis corporum formis quae ad oculos pertinent, possumus rotunda vel quadrata vel quaecumque alia solida et determinata iudicare et omnino sentire, nisi ea ob oculos versemus. Cum autem alia pars aspicitur, si exciderit quod est aspectum in alia, frustratur omnino iudicantis intentio, quia et hoc aliqua mora temporis fit.

De Gen. ad Lit. XII, xvi, 33: Itemque in auditu, nisi auribus perceptae vocis imaginem continuo spiritus in seipso formaret, et in memoria retineret, ignoraretur secunda syllaba utrum secunda esset, cum iam prima utique nulla esset, quae percussa aure transiisset: ac sic omnis locutionis usus... occideret... si transactos corporis motus spiritus non teneret, quibus consequentes in agendo connecteret. Quos utique non tenet nisi imaginaliter a se factos in se.

a. Cf. infra, **8, ii,** De memoria sensibili.

b. In *De Trin.* XI, i-vi, A. haec tria distinguit: corpus quod videtur, ipsam visionem, et quae utrumque coniungit animae intentionem, quaerens in sensatione imaginem quamdam SS. Trinitatis. Cui fini cum minus inserviret theoria illa singularis, subtilis et intellectu difficilis, quae ipsi est propria, eam non explicite profert, sed utitur locutionibus communi modo rem concipiendi magis accomodatis, quae tamen suae etiam doctrinae satis conveniant. V. g. ii, 2: « Ipsaque visio quid aliud quam sensus ex ea re quae sentitur informatus apparet?... nullo modo tamen eiusdem substantiae est corpus quo formatur sensus oculorum, cum idem corpus videtur, et ipsa forma quae ab eodem imprimitur sensui, quae visio vocatur. Corpus enim visum in sua natura separabile est... sensus [autem] et visio, i. e. sensus formatus extrinsecus, ad animantis naturam pertinet, omnino aliam quam est illud corpus quod videndo sentimus, quo sensus non ita formatur ut sensus sit, sed ut visio sit... Itemque illa animi intentio differt... ab ipso quoque sensu atque visione: quoniam solius animi est haec intentio; sensus autem oculorum non ob

aliud sensus corporis dicitur, nisi quia et ipsi oculi membra sunt corporis; et quamvis non sentiat corpus exanime, anima tamen commixta corpori per instrumentum sentit corporeum, et idem instrumentum sensus vocatur. 3. Ideoque non possumus dicere quod sensum gignat res visibilis; gignit tamen formam velut similitudinem suam, quae fit in sensu cum aliquid videndo sentimus. Sed formam corporis quod videmus, et formam quae ab illa in sensu videntis fit, per eundem sensum non discernimus; quoniam tanta coniunctio est. 5. [Quare distinguendae sunt] species corporis quae videtur, et impressa eius imago sensui quod est visio sensusve formatus... [Hoc] alterum autem ita pertinet [ad animantis naturam] ut in corpore fiat, et per corpus in anima: fit enim in sensu, qui neque sine corpore est neque sine anima ».

c. De sensationibus inconsciis cf. etiam *De Trin.* XI, viii, 15.

d. Satis cernit difficultatem contra theoriam suam sensationis in eo quod anima plane inconscia sit aliquarum ipsius activitatum; *De An. et eius Orig.* IV, v, 6: « Et certe ibi erat, etiam quando illa nesciebat. Et cum viscera intrinsecus nostra non possint sine anima vivere, facilius ea potuit anima vivificare quam nosse »; cf. *Epis.* IX, 3. Hanc aliam quoque liceat nobis indicare: quomodo illa actio qua anima numeros corporis regit, continet, ordinat, etc., potest ipsi attentius agenti apparere tanquam sensatio voluptatis, doloris, famis? sed praesertim, quomodo talis operatio apparere potest tanquam repraesentatio alicuius qualitatis sensibilis, et quidem extra exsistentis? Non profecto clarum est utrum ipsa illa conscientia suae operationis constituat sensationem, an imago quam anima in seipsa efformat celeritate mirabili. Quidquid id est, adeo subiectivae sunt imagines sensibiles, ut quo iure unquam haberi possint tanquam repraesentationes rerum extra non appareat.

v. De sensu interiore. *De Lib. Arb.* II, iii, 8: A. Quid igitur ad quemque sensum pertineat, et quid inter se vel omnes vel quidam eorum communiter habeant, num possumus ullo eorum sensu diiudicare? E. Nullo modo, sed quodam interiore ista diiudicantur... ad quem ab istis quinque notissimis cuncta referantur. Namque aliud est quod videt bestia, aliud quo ea quae videndo sentit, vel vitat vel appetit: ille enim sensus in oculis est, ille autem intus in ipsa anima... nescio quid aliud quod omnibus communiter praesidet.

a. Pergit disserendo de hoc sensu interiore usque ad v, 17.

8. - De visione spirituali (i. e. imaginationis)

i. De imaginatione. *De Trin.* XI, iii, 6 (trinitas cogitationis): Quia etiam detracta specie corporis quae corporaliter sentiebatur, remanet in memoria similitudo eius, quo rursus voluntas convertat aciem ut inde formetur intrinsecus, sicut ex corpore obiecto sensibili sensus extrinsecus formabatur. Atque ita fit illa trinitas ex memoria, et interna visione, et quae utrumque copulat voluntate. Quae tria cum in unum coguntur, ab ipso coactu cogitatio dicitur... Pro illa specie corporis quae sentiebatur extrinsecus, succedit memoria retinens illam speciem quam per corporis sensum combibit anima; proque illa visione quae foris erat cum sensus ex corpore sensibili formaretur, succedit intus similis visio, cum ex eo quod memoria tenet, formatur acies animi, et absentia corpora cogitantur: voluntasque ipsa... aciem recordantis animi convertit ad memoriam, ut ex illo quod illa retinuit ista formetur, et sit in cogitatione similis visio... tamen sic una et singularis apparet, ut duo quaedam esse non inveniantur nisi iudicante ratione... sed utriusque coniunctio, i. e. eius quam memoria tenet, et eius quae inde exprimitur ut formetur acies recordantis, quia simillimae sunt, velut unam facit apparere.

Ibid. iv, 7: Quod ergo est ad corporis sensum aliquod corpus in loco, hoc est ad animi aciem similitudo corporis in memoria; et quod est aspicientis visio ad eam speciem corporis ex qua sensus formatur, hoc est visio cogitantis ad imaginem corporis in memoria constitutam, ex qua formatur acies animi.

De Gen. ad Lit. XII, xii, 25: sed cum vigilantes, neque mente a sensibus corporis alienata in visione corporali sumus, discernimus ab ea visionem spiritualem, qua corpora absentia imaginaliter cogitamus, sive memoriter recordantes quae novimus; sive quae non novimus, et tamen sunt, in ipsa spiritus cogitatione utcumque formantes; sive quae omnino nusquam sunt pro arbitrio vel opinatione fingentes. Ab his omnibus ita discernimus illa corporalia quae videmus et in quibus sunt sensus corporis nostri, ut non dubitemus haec esse corpora, illas vero imagines corporum.

a. Cf. supra 7, iii, excerpta ex *De Gen. ad Lit.* XII. Enumerantur in hoc eodem opere operationes quae ad visionem spiritualem spectant, XII, xxiii, 49. Haec visio « medietatem quamdam » obtinet inter corporalem et intellectualem, et activitas mentis quae tales imagines respicit vocatur « cogitatio ».

b. *De Trin.* XI, ix, 16: « In hac igitur distributione cum incipimus a specie corporis, et pervenimus usque ad speciem quae fit in contuitu cogitantis, quattuor species reperiuntur quasi gradatim natae altera ex altera... A specie quippe corporis quod cernitur, exoritur ea quae fit in sensu cernentis; et ab hac ea quae fit in memoria; et ab hac ea quae fit in acie cogitantis. Quapropter voluntas quasi parentem cum prole ter copulat: primo speciem corporis cum ea quam gignit in corporis sensu; et ipsam rursus cum ea quae fit ex illa in memoria; atque istam quoque tertio cum ea quae ex illa paritur in cogitantis intuitu... Visiones enim duae sunt: una sentientis, altera cogitantis... cum visio sentientis formatur ex corpore... cum visio cogitantis formatur ex memoria ». Secunda copulatio, qua sensatio in memoria reconditur, nullam gignit visionem.

c. *Ibid.* vii, 12: « Quamvis enim haec trinitas... forinsecus invecta est animo, intus tamen agitur, et non est quidquam ejus praeter ipsius animae naturam ».

ii. De memoria sensibili. - *Conf.* X, viii, 15: Magna ista vis est memoriae, magna nimis, Deus meus, penetrale amplum et infinitum. Quis ad fundum ejus pervenit? Et vis est haec animi mei, atque ad meam naturam pertinet; nec ego ipse capio totum quod sum. Ergo animus ad habendum seipsum angustus est *, ut ubi sit quod sui non capit? Numquid extra ipsum ac non in ipso? Quomodo ergo non capit? Multa mihi super hoc oboritur admiratio, stupor apprehendit me. Et eunt homines admirari alta montium, et ingentes fluctus maris, et latissimos lapsus fluminum, et oceani ambitum, et gyros siderum, et relinquunt seipsos; nec mirantur quod haec omnia cum dicerem, non ea videbam oculis, nec tamen dicerem, nisi montes et fluctus et flumina et sidera quae vidi, et Oceanum quem credidi, intus in memoria mea viderem spatiis tam ingentibus quasi foris viderem. Nec ea tamen videndo absorbui quando vidi oculis; nec ipsa sunt apud me, sed imagines eorum; et novi quid ex quo sensu corporis impressum sit mihi.

Conf. XI, xxvii, 35-36 (In versu discerno syllabas longas et breves): Quid est ergo quod metior? Ubi est qua metior brevis? ubi est longa quam metior? ambae sonuerunt, avolaverunt, praeterierunt, jam non sunt: et ego metior, fidenterque respondeo, quantum exercitato sensu fiditur, illam simplam esse, illam duplam, in spatio scilicet temporis. Neque hoc possum, nisi quia praeterierunt et finitae sunt. Non ergo ipsas, quae jam non sunt, sed aliquid in memoria mea metior, quod infixum manet. 36. In te, anima meus, tempora mea metior. Noli mihi obstrepere, quod est: noli tibi obstrepere turbis affectionum tuarum. In te, inquam, tempora mea metior; affectionem quam res praetereuntes in te faciunt, et cum illae praeterierint manet, ipsam metior praesentem, non eas quae praeterierunt ut fieret; ipsam metior, cum tempora metior.

a. Loci illi integri legendi sunt. De memoria intellectuali, cf. *ibid.* X, xii, et *Epis.* VII (ad Nebrid.), i, 1: « Memoria tibi nulla videtur esse posse sine imaginibus et imaginariis visis, quae phantasiarum nomine appellare voluisti. Ego aliud existimo ». Usurpatur vox memoriae ab A. sensu valde amplo, ita ut complectatur omnia quae inconscia in anima latent; immo de ipso animo dicitur, *Conf.* X, xiv, 21: « cum animus sit etiam ipsa memoria ». *De Trin.* XV, xxi, 40, memoriae tribuit « omne quod scimus, etiamsi non inde cogitemus »; et explicite docet dari memoriam etiam praesentium; *Ibid.* XIV, xi, 14: « Cum ergo sibi [vir ille] praesens esset, nullo modo sui meminisset, nisi ad res praesentes memoria pertineret » ; *Ibid.* vi, 8: « sed tamen noverit se, tanquam ipsa sit sibi memoria sui ».

iii. Phantasiae et phantasmata. - *De Mus.* VI, xi, 32: Haec igitur memoria quaecumque de motibus animi tenet, qui adversus passionibus corporis acti sunt, *phantasiae* graece vocantur; nec invenio quid eas latine malim vocare: quas pro cognitis habere atque pro perceptis, opinabilis vita est, constituta in ipso erroris introitu. Sed cum sibi isti motus occursant, et tanquam diversis et repugnantibus intentionis flatibus aestuant, alios ex aliis motibus pariunt; non jam eos qui tenentur ex occursionibus passionum corporis impressi de sensibus, similes tamen tanquam imaginum imagines, quae *phantasmata* dici placuit. Aliter enim cogito patrem meum quem vidi, aliter avum

quem nunquam vidi. Horum primum phantasia est, alterum phantasma. Illud in memoria invenio, hoc in eo motu animi, qui ex iis ortus est quos habet memoria. Quomodo autem oriantur haec, et invenire et explicare difficile est. Arbitror tamen quod si nunquam humana corpora vidissem, nullo modo ea possem visibili specie cogitando figurare. Quod autem ex eo quod vidi facio, memoria facio: et tamen aliud est in memoria invenire phantasiam, aliud de memoria facere phantasma. Quae omnia vis animae potest. . . ut nulla alia sit materies omnium falsarum opinionum, quam habere phantasias vel phantasmata pro cognitis, quae cognoscuntur per sensum.

De Gen. ad Lit. XII, xviii, 40: Ego vero multo amplius admiror, multoque maxime stupeo quanta celeritate ac facilitate in se anima fabricetur imagines corporum, quae per corporis oculos viderit, quam somniantium vel etiam in ecstasi visiones. Quaecumque tamen illa natura visionum est, procul dubio corpus non est.

De Vera Rel. x, 18: Phantasmata porro nihil sunt aliud quam de specie corporis corporeo sensu attracta figmenta; quae memoriae mandare ut accepta sunt, vel partiri, vel multiplicare, vel contrahere, vel distendere, vel ordinare, vel perturbare, vel quolibet modo figurare cogitando facillimum est, sed cum verum quaeritur, cavere et vitare difficile.

a. *De Gen. ad Lit.* XII, xx, 42 (ubi in eo est ut explicet visiones spirituales anormales): « Sed cum a corpore est ut talia visa cernantur, non ea corpus exhibet; neque enim habet eam vim, ut formet aliquid spirituale: sed sopito, aut perturbato, aut etiam intercluso itinere intentionis a cerebro, qua dirigitur sentiendi motus, anima ipsa, quae motu proprio cessare ab hoc opere non potest, quia per corpus non sinitur vel non plene sinitur corporalia sentire, vel ad corporalia vim suae intentionis dirigere, spiritu corporalium similitudines agit, aut intuetur objectas. Et si quidem eas ipsa agit, phantasiae tantum sunt; si autem objectas intuetur, ostensiones sunt ». Pergit explicando « nisum » animae ad tales imagines fingendas.

b. Quamvis similes sint corporibus, nemo est « talibus imaginibus ita deditus, ut credat sic esse in memoria sua, vel in ipso conspectu cogitationis suae [res corporeas], ut locorum spatiis atque intervallis sive stent, sive moveantur. Porro si ea quae in animo nostro sunt corpori-

bus locisque simillima, non tamen locorum spatiis atque finibus continentur, nec intervallis localibus in nostra memoria reponuntur; quanto magis illa [intelligibilia] »; *Epis.* CXLVII, xvii, 43.

c. Distinctio ista inter phantasias et phantasmata a Stoicis est divulgata.

9. - Quaenam veritas competat sensibus.

i. Sinceritas veritatis non apud sensus. - *Contra Acad.* III, xi, 26: Age, si dicat Epicureus quispiam: nihil habeo quod de sensibus conquerar; injustum est enim ab eis exigere plus quam possunt; quidquid autem possunt videre oculi, verum vident. Ergone verum est quod de remo in aqua vident? Prorsus verum. Nam causa accedente quare ita videretur, si demersus unda remus rectus appareret, magis oculos meos falsae renuntiationis arguerem. Non enim viderent quod talibus exsistentibus causis videndum fuit. Quid multis opus est? Hoc de turrium motu, hoc de pinnulis avium, hoc de ceteris innumerabilibus dici potest. Ego tamen fallor si assentiar, ait quispiam. Noli plus assentiri, quam ut ita tibi apparere persuadeas, et nulla deceptio est. Non enim video quomodo refellat Academicus eum qui dicit: hoc mihi candidum videri scio; hoc mihi sapere dulciter scio; hoc mihi esse frigidum scio.

De Vera Rel. xxxiii, 62: Sed ne ipsi quidem oculi fallunt; non enim renuntiare possunt animo nisi affectionem suam. Quod si non solum ipsi, sed etiam omnes corporis sensus ita renuntiant ut afficiuntur, quid ab eis amplius exigere debeamus ignoro. Tolle itaque vanitantes, et nulla erit vanitas. Si quis remum frangi in aqua opinatur, et cum inde aufertur integrari, non malum habet internuntium, sed malus est judex.

De Div. Quaes. 83, qu. ix: Omne quod corporeus sensus attingit, quod et sensibile dicitur, sine ulla intermissione temporis commutatur... Quod autem non manet, percipi non potest; illud enim percipitur quod scientia comprehenditur. Comprehendi autem non potest quod sine intermissione mutatur. Non est igitur exspectanda sinceritas veritatis a sensibus corporis... [Insuper] illud certe nemo est qui non cogatur fateri, nihil esse sen-

sibile quod non habeat simile falso, ita ut internosci non possit... Si igitur sunt imagines sensibilium falsae, quae discerni ipsis sensibus nequeunt, et nihil percipi potest nisi quod a falso discernitur, non est judicium veritatis constitutum in sensibus.

a. Ex duobus primis textibus videtur sequi nos non posse ex datis sensuum quidquid certum judicare de ipsis rebus. In tertio excerpto adducitur argumentum tritum Academicorum contra criterium Stoicorum, i. e. contra phantasiam catalepticam. Loci utique citati in prioribus Augustini operibus occurrunt; sed semper, more Platonicorum, multum diffidit imaginibus sensibilibus, neque unquam certitudinem ex sensibus habitam conferendam esse censuit cum certitudine de intelligibilibus. Cf. *De Civ. Dei,* XI, xxvi.

ii. Possunt tamen sensus fundamentum praebere judiciis certis de rebus. - *De Gen. contra Man.* II, xx, 30: Et quoniam necessitate jam per hos oculos et per has aures de ipsa veritate admonemur, et difficile est resistere phantasmatibus quae per istos sensus intrant in animam, quamvis per ipsos intret etiam ipsa admonitio veritatis; in ista ergo perplexitate, cujus vultus non sudet ut manducet panem suum?

Epis. XIII (ad Nebrid., paulo post opus *Contra Acad.*), 3: Hic forsitan dicas: quanquam corpora percipi nequeant, multa nos tamen ad corpora pertinentia intelligibiliter posse percipere, ut est quod novimus esse corpus. Quis enim neget, aut quis hoc verisimile potius quam verum esse fateatur? Ita cum ipsum corpus verisimile sit, esse tamen in natura tale quiddam verissimum est: ergo corpus sensibile, esse autem corpus intelligibile judicatur; non enim posset aliter percipi... 4. illud quod intelligere appellamus, duobus modis in nobis fieri: aut ipsa per se mente atque ratione intrinsecus, ut cum intelligimus esse ipsum intellectum; aut admonitione a sensibus, ut id quod jam dictum est, cum intelligimus esse corpus.

De Trin. XV, xii, 21: Cum enim duo sint genera rerum quae sciuntur: unum earum quae per sensus corporis percipit animus, alterum earum quae per se ipsum; multa illi philosophi (Academici) garrierunt contra corporis sensus... Sed absit a nobis ut ea quae per sensus corporis didicimus, vera esse du-

bitemus... Absit etiam ut scire nos negemus, quae testimonio didicimus aliorum.

De Gen. ad Lit. XII, xii, 25 (supra citatum, sub **8, i**): Ab his omnibus [imaginatis] ita discernimus illa corporalia quae videmus et in quibus praesentibus sunt sensus corporis nostri, ut non dubitemus haec esse corpora, illas vero imagines corporum.

xiv, 29. Quid enim faciunt oculi non habent, cum simile corpus viderint, quod ab alio discernere non possint; aut quid faciat animi intentio, cum in spiritu facta fuerit corporis similitudo, quam non valeat distinguere a corpore. Sed adhibetur intellectus, quaerens quid illa significent vel utile doceant.

a. Videt profecto A. difficultatem, Platonicis adeo molestam: quomodo et quousque cognitio intellectualis a sensibus pendeat? quam tamen nullibi fuse et data opera aggreditur. Explicite asserit nos monentibus sensibus posse intellectu scire mundum corporeum exsistere. Sed implicite supponit multas alias certitudines intellectuales inde derivari; cf. infra, **20, 21,** DE RATIONE INFERIORE. Modo etiam generali supponit sensus nostros, vigilantibus nobis neque ullo morbo laborantibus, corpora externa satis accurate referre, ita ut ipsis *credere* debeamus. *De Civ. Dei.* XIX, xviii: « Creditque sensibus in rei cujusque evidentia, quibus per corpus anima utitur; quoniam miserabilius fallitur, qui nunquam putat eis esse credendum ». Tandem communi experientia fretus affirmat nos posse plerumque ratione distinguere inter perceptiones sensuum et imaginationes, etsi aliquando « tanta offenditur similitudo speciei corporalis expressa ex memoria, ut nec ipsa ratio discernere sinatur, utrum foris corpus ipsum videatur, an intus tale aliquid cogitetur» (*De Trin.* XI, iv, 7).

10. - Penitus esse ista sensibilia fugienda.

Solil. I, xiv, 24 (De sapientia adipiscenda): R. Unum est quod tibi possum praecipere; nihil plus novi: penitus esse ista sensibilia fugienda, cavendumque magnopere, dum hoc corpus agimus, ne quo eorum visco pennae nostrae impediantur, quibus integris perfectisque opus est ut ad illam lucem ex his tenebris evolemus; quae ne se ostendere quidem dignatur in hac cavea inclusis, nisi tales fuerint ut ista vel effracta vel dissoluta possint in aures suas evadere. Itaque quando fueris talis ut nihil te pror-

sus terrenorum delectet, mihi crede, eodem momento, eodem puncto temporis, videbis quod cupis.

De Util. Credendi i, 1: Sed [veritas] res est longe remota a vanorum hominum mentibus, qui nimis in haec corporalia progressi atque lapsi, nihil aliud putant esse quam quod istis quinque notissimis nuntiis corporis sentiunt; et quas ab his plagas atque imagines acceperunt, eas secum volvunt, etiam cum conantur recedere a sensibus; et ex earum mortifera et fallacissima regula, ineffabilia penetralia veritatis rectissime se metiri putant.

De Quant. An. I, xxviii, 54: Humana vero anima per rationem atque scientiam, de quibus agimus, quod sunt ista longe praestantiora sensibus, suspendit se a corpore quantum potest, et ea quae intus est libentius fruitur voluptate; quantoque in sensus declinat, tanto magis similiorem hominem pecori facit. Inde est quod etiam pueri vagientes, quanto alieniores a ratione sunt, tanto facilius discernunt sensu etiam contactum coniunctionemque nutricum. 55. Quomobrem, quamvis aliud ex alio inciderit, libenter tamen in eo sermone demoror quo admonetur anima, ne se ultra quam necessitas cogit, refundat in sensus; sed ab his potius ad seipsam colligat, et repuerescat Deo.

De Mus. VI, xiii, 39: Amor igitur agendi adversus succedentes passiones corporis sui, avertit animam a contemplatione aeternorum, sensibilis voluptatis cura eius avocans intentionem: hoc autem agit occursoribus numeris. Avertit etiam amor de corporibus operandi, et inquietam facit: hoc autem agit progressoribus numeris. Avertunt phantasiae atque phantasmata: et haec agit recordabilibus numeris. Avertit denique amor vanissimae cognitionis talium rerum. (De quibus numeris, cf. supra, **7, ii, a.**).

a. *Conf.* VII, i, 1 (conando Deum cogitare): « Clamabat violenter cor meum adversus omnia phantasmata mea, et hoc uno ictu conabar abigere circumvolantem turbam immunditiae ab acie mentis meae: et vix dimota in ictu oculi ecce conglobata rursus aderat et irruebat in conspectum meum, et obnubilabat eum; ut quamvis non forma humani corporis, corporeum tamen aliquid cogitare cogerer per spatia locorum ».

b. *De Immort. An.* i, 1: « Nec corpus intelligit, nec animus auxiliante corpore... quia cum intelligere vult, a corpore avertitur ». *De Mus.* VI,

iv, 7: « Anima vero istis quae per corpus accipit carendo fit melior, cum sese avertit a carnalibus sensibus, et divinis sapientiae numeris reformatur » (Cf. *Retrac.* I, ix, 2). *De Vera Rel.* xxxiv, 64: « O animae pervicaces, date mihi qui videat sine ulla imaginatione visorum carnalium... Date mihi qui resistat sensibus, et plagis quibus per illos in anima vapulavit ». *De Trin.* VIII, ii, 3: « Ecce vide, si potes, o anima praegravata corpore quod corrumpitur (Cf. *Sap.* ix, 15), et onusta terrenis cogitationibus multis et variis: ecce vide, si potes: Deus veritas est ». *De Civ. Dei* XIX, xviii: habemus « etiamsi parvam, propter corpus corruptibile, quod aggravat animam... tamen certissimam scientiam ».

c. Locus citatus ex *Soliloquiis* (I, xiv) redolet Platonem. Alias etiam approbando exponit doctrinam Platonis de fuga a sensibilibus; v. g. *De Vera Rel.* iii, 3. Sed dicto illi « penitus esse ista sensibilia fugienda » hanc notam apponit in *Retract.* I, iv, 2: « Cavendum fuit ne putaremur illam Porphyrii falsi philosophi tenere sententiam, qua dixit: omne corpus esse fugiendum. Non autem dixi ego: omnia sensibilia, sed *ista*, h. e. corruptibilia. Sed hoc potius dicendum fuit: Non autem talia sensibilia futura sunt in futuri saeculi caelo novo et terra nova ». A. semper affirmavit corpus esse bonum, quamvis infimum; quia est aliquid in quantum participat divinos numeros sive ideas. Et in operibus posterioribus, ut defendat dogma de resurrectione corporum, distinguit, (*De Civ. Dei* XIII, xvi): « non corpus esse animae sed corruptibile corpus onerosum »; immo admittit animam quodammodo corpore indigere, *De Gen. ad Lit.* XII, xxxv, 68: « sive ideo quia inest ei naturalis quidam appetitus corpus administrandi; quo appetitu retardatur quodammodo ne tota intentione pergat in illum summum caelum, quamdiu non subest corpus, cuius administratione appetitus ille conquiescat ».

d. Neque hoc obliviscendum est: corporalia et sensibilia constituere gradum quo ad intelligibilia ascendamus; v. g. *De Mus.* VI, i, 1; *Solil.* I, xiii, 25; et passim.

III

11. - De conceptu rei immaterialis

i. Quam erat Augustino difficilis. - *Conf.* VII, i, 2: Ego itaque incrassatus corde, nec mihimetipsi vel ipse conspicuus, quidquid non per aliquanta spatia tenderetur vel diffunderetur vel conglobaretur vel tumeret, vel tale aliquid caperet aut capere posset, nihil prorsus esse arbitrabar. Per quales enim formas ire solent oculi mei, per tales imagines ibat cor meum. Nec videbam hanc eandem intentionem, qua illas ipsas imagines formabam, non esse tale aliquid; quae tamen ipsas non formaret, nisi esset magnum aliquid.

Contra Epis. Man. Fund. i, 2: Illi in vos [Manichaeos] saeviant, qui nesciunt quam rarum et arduum sit carnalia phantasmata piae mentis serenitate superare. Illi in vos saeviant, qui nesciunt cum quanta difficultate sanetur oculus interioris hominis, ut possit intueri solem suum: non istum quem vos colitis caelesti corpore, oculis carneis et hominum et pecorum fulgentem atque radiantem, sed illum de quo scriptum est per prophetam... Illi in vos saeviant, qui nesciunt quibus suspiriis et gemitibus fiat, ut ex quantulacumque parte possit intelligi Deus. Postremo, illi in vos saeviant, qui nunquam tali errore decepti sunt, quali vos deceptos vident.

Conf. VII xx, 26: Sed tunc, lectis Platonicorum illis libris, posteaquam inde admonitus quaerere incorpoream veritatem, invisibilia tua per ea quae facta sunt intellecta conspexi, et repulsus sensi, quid per tenebras animae meae contemplari non sinerer, certus esse te et infinitum esse, nec tamen per locos finitos infinitosve diffundi, et vere te esse qui semper idem ipse esses, ex nulla parte nulloque motu aliter aut aliter.

a. Saepe narrat A. qua difficultate materialismum et sensismum exuerit Manichaeorum, quippe qui ipsum Deum fingerent esse lucem quamdam immensam, sed « tumentem spatiis locorum atque temporum ».

ii. Quantum debeat Platonicis. - *Contra Acad.* III, xx, 43; Quod autem subtilissima ratione persequendum est; ita enim iam sum affectus, ut quid sit verum, non credendo solum sed etiam intelligendo apprehendere impatienter desiderem; apud Platonicos me interim quod sacris nostris non repugnet reperturum esse confido.

De Civ. Dei VIII, vi: Viderunt ergo isti philosophi, quos caeteris non immerito fama atque gloria praelatos videmus, nullum corpus esse Deum: et ideo cuncta corpora transcenderunt quaerentes Deum. Viderunt quidquid mutabile est, non esse summum Deum: et ideo omnem animam mutabilesque omnes spiritus transcenderunt quaerentes summum Deum. Deinde viderunt omnem speciem in re quacumque mutabili, qua est quidquid illud est, quoquo modo et qualiscumque natura est, non esse posse nisi ab illo qui vere est, quia incommutabiliter est. Ac per hoc sive universi mundi corpus, figuras, qualitates, ordinatumque motum...; sive omnem vitam.., qualis est in arboribus... in pecoribus... in hominibus... in angelis, nisi ab illo esse non posse, qui simpliciter est: quia non aliud illi est esse, aliud vivere, quasi posset esse non vivens... sed quod est illi vivere, intelligere, beatum esse, hoc est illi esse. Propter hanc incommutabilitatem et simplicitatem intellexerunt eum et omnia ista fecisse, et ipsum a nullo fieri potuisse. Consideraverunt enim, quidquid est, vel corpus esse vel vitam, meliusque aliquid vitam esse quam corpus; speciemque corporis esse sensibilem, intelligibilem vitae. Proinde intelligibilem speciem sensibili praetulerunt... Nulla est enim pulchritudo corporalis... de qua non animus iudicet. Quae profecto non posset, nisi melior in illo esset haec species, sine tumore molis, sine strepitu vocis, sine spatio vel loci vel temporis. Sed ibi quoque, nisi mutabilis esset [i. e. species in animo], non alius alio melius de specie sensibili iudicaret... Unde ingeniosi et docti et in his exercitati homines facile collegerunt, non esse in eis rebus primam speciem,

ubi mutabilis esse convincitur... Viderunt esse aliquid ubi prima esset et incommutabilis [species], et ideo nec comparabilis; atque ibi esse rerum principium rectissime crediderunt, quod factum non esset, et ex quo facta cuncta essent.

vii. Hi vero... discreverunt ea quae mente conspiciuntur, ab iis quae sensibus attinguntur... Lumen autem mentium esse dixerunt ad discenda omnia, eundem ipsum Deum, a quo facta sunt omnia.

a. Si rursus, ait, nobiscum viverent, « paucis mutatis verbis atque sententiis, Christiani fierent »; *De Vera Rel.* iv, 7; *Epis.* CXVIII (ad Diosc.) iii, 21. Platonicos legit A. oculis Christianis, plus cernens veritatis quam revera adest. Intellexit etiam consensum illum esse maxime materialem, - longe alio spiritu et vita animari doctrinam Christianam; v. g. *Conf.* VII, xxi. Cf. PORTALIÉ, *op. cit.*, col. 2325-2331; L. GRANDGEORGE, *S. Aug. et le Néo-platonisme*, Paris, 1896; BOYER, *Christianisme et Néo-platonisme dans la form. de S. Aug.*, Paris, 1920.

12. - De ratione sive intelligentia

i. Nihil in natura humana praestantius. *De Lib. Arb.* II, vi, 13: A. Cum ergo eam naturam quae tantum est, nec vivit nec intelligit, sicuti est corpus exanime, praecedat ea natura quae non tantum est, sed etiam vivit, nec intelligit, sicuti est anima bestiarum; et rursus hanc praecedat ea quae simul et est et vivit et intelligit, sicut in homine mens rationalis; num arbitraris in nobis, id est in iis quibus natura nostra completur ut homines simus, aliquid inveniri posse praestantius, quam hoc quod in his tribus tertio loco posuimus? Nam et corpus nos habere manifestum est, et vitam quamdam qua ipsum corpus animatur atque vegetatur, quae duo etiam in bestiis agnoscimus, et tertium quiddam quasi animae nostrae caput aut oculum, aut si quid congruentius de ratione atque intelligentia dici potest, quam non habet natura bestiarum. Quare vide, obsecro, utrum aliquid invenire possis, quod sit in natura hominis ratione sublimius. E. nihil omnino melius video.

De Vera Rel. xxix, 53: Sed quia irrationalia quoque animantia vivere atque sentire nemo ambigit, illud in animo humano

praestantissimum est, quo non sentit sensibilia, sed quo iudicat de sensibilius. Nam et vident acutius, et caeteris corporis sensibus acrius corpora anttingunt pleraeque bestiae quam homines; sed.iudicare de corporibus non sentientis tantum vitae, sed etiam ratiocinantis est; qua illae carent, nos excellimus. Iamvero illud videre facillimum est, praestantiorem esse iudicantem quam illa res de qua iudicatur, non solum autem rationalis vita de sensibilibus, sed de ipsis quoque sensibus iudicat: cur in aqua remum infractum oporteat apparere cum rectus sit, et cur ita per oculos sentiri necesse sit; nam ipse aspectus oculorum renuntiare id potest, iudicare autem nullo modo. Quare manifestum est, ut sensualem vitam corpori, ita rationalem utrique praestare.

XXX. 54. Itaque si rationalis vita secundum seipsam iudicat, nulla iam est natura praestantior. Sed quia clarum est eam esse mutabilem, quando nunc perita nunc imperita invenitur; et tanto est peritior, quanto alicuius artis vel disciplinae vel sapientiae particeps est: ipsius artis natura quaerenda est.

a. Non oportet his saltem locis distinctionem quaerere inter rationem et intelligentiam. Quid sit ipsum intelligere non potest definiri, sed solummodo indicari: « mente contueri », « pura mente conspicere »; *Solil.* I, vi, 12: « Ego autem Ratio ita sum in mentibus sicut in oculis est aspectus »; *De Trin.* XII, xiv, 23: « in natura incorporali sic intelligibilia praesto sunt mentis aspectibus, sicut ista in locis visibilia et contrectabilia corporis sensibus »; *De Immort. An.*: intellectio est « coniunctio intuentis animi et eius veri quod intuetur ». Eius obiecta « non habent imagines sui similes, quae non sunt quod ipsa » *De Gen. ad Lit.* XII, vi, 15; *Epis.* CXVIII (ad Diosc.) ii, 9, 10; sed cf. *Conf.* X, xiv, 22.

b. Nec conatur A. demonstrare sensu stricto mentem nostram cognoscere mundum intelligibilem; *De Vera Rel.* xxxix, 72; xlix, 97: « Quae rursus omnia, quae de hac luce mentis nunc a me dicta sunt, nulla alia quam eadem luce manifesta sunt. Per hanc enim intelligo vera esse quae dicta sunt, et haec me intelligere pe hanc rursus intelligo ». *Epis.* IV (ad Nebrid.), 2: « tanta nonnumquam rerum manentium praesumptione compleor, ut mirer interdum illa mihi opus esse ratiocinatione ut haec esse credam, quae tanta insunt praesentia quanta sibi quisque sit praesens ».

c. Principium illud « melius est iudicans quam id de quo iudicatur », supponitur esse omnibus manifestum; cf. *Epis.* CXLVII, xviii, 45: « Quod

si nondum possumus praeferre lucem iudicantem ei luci de qua iudicatur, praeferre vitam intelligentem vitae tantummodo sentienti, praeferre naturam non alibi hoc et alibi aliud, sed omnia quae habet in uno simul habentem, sicuti est nostra ipsa intelligentia, ei naturae quae ita partibus constat ut minor sit dimidia quam tota sicuti est omne corpus; superfluo de rebus tantis ac talibus disputamus ».

ii. De ratione superiori et inferiori. *Epis.* XIII (ad Nebrid.) 3: illud quod intelligere appellamus, duobus modis in nobis fieri: aut ipsa per se mente atque ratione intrinsecus, ut cum intelligimus esse ipsum intellectum; aut admonitione a sensibus, ut id quod iam dictum est, cum intelligimus esse corpus. In quibus duobus generibus illud primum per nos, i. e. de eo quod apud nos est Deum consulendo; hoc autem secundum de eo quod a corpore sensuque nuntiatur, nihilominus Deum consulendo intelligimus,

De Trin. XII, ii, 2; Sublimioris rationis est iudicare de istis corporalibus secundum rationes incorporales et sempiternas: quae nisi supra mentem humanam essent, incommutabiles profecto non essent; atque his nisi subiungeretur aliquid nostrum, non secundum eas possemus iudicare de corporalibus. Iudicamus autem de corporalibus ex ratione dimensionum atque figurarum, quam incommutabiliter manere mens novit. iii, 3. Illud vero nostrum quod in actione corporalium atque temporalium tractandorum ita servatur, ut non sit nobis commune cum pecore, rationale quidem est, sed ex illa rationali nostrae mentis substantia, qua subhaeremus intelligibili atque incummutabili veritati, tanquam ductum et inferioribus tractandis gubernandisque deputatum est.

a. Superiori rationi sapientia, inferiori scientia refertur. *De Trin.* XII, xv, 25: « Si ergo haec est sapientiae et scientiae recta distinctio, ut ad sapientiam pertineat aeternarum rerum cognitio intellectualis, ad scientiam vero temporalium rerum cognitio rationalis: quid cui praeponendum sit non est difficile diiudicare ». *Ibid.* XIII, i, 1: « satis egimus discernere rationalis mentis officium in temporalibus rebus, ubi non solum cognitio verum et actio nostra versatur, ab exellentiore eiusdem mentis officio, quod contemplandis aeternis rebus impenditur, et sola cognitione finitur ».

b. Agitur de duplici usu unius eiusdemque rationis, quem « una mentis natura complectitur » (XII, iii, 3). « Cum igitur disserimus de natura mentis humanae, de una quadam re disserimus, nec eam in haec duo quae commemoravimus nisi per officia geminamus » XII, iv, 4. Modo generali supprimebat A. distinctionem inter animam eiusque facultates; v. g. *De Trin.* X, xi, 18; et hoc ob motivum etiam theologicum: anima enim cum suis potentiis est imago SS. Trinitatis, in qua cum divina natura tres personae identificantur. Cf. Gilson, *Introduction* pp. 283-284.

c. In sequentibus prae oculis imprimis habebimus (sicut ipse A.) cognitionem illam pure intellectualem, dicturi postea de ratione inferiori.

13. - Cognoscimus obiecta omnibus mentibus communia

De Lib. Arb. II, viii, 20: Dic mihi utrum inveniatur aliquid quod omnes ratiocinantes sua quisque ratione atque mente communiter videant, cum illud quod videtur praesto sit omnibus, nec in usum eorum quibus praesto est commutetur, quasi cibus aut potio, sed incorruptum integrumque permaneat, sive illi videant, sive non videant. An forte nihil huiusmodi esse arbitraris? E. Immo multa esse video; e quibus unum commemorari satis est: quod ratio et veritas numeri omnibus ratiocinantibus praesto est, ut omnis eam computator sua quisque ratione et intelligentia conetur apprehendere; et alius id facilius, alius difficilius possit, alius omnino non possit; cum tamen ipsa aequaliter omnibus se praebeat valentibus eam capere.

Ibid. x, 28: A. Item, iuste esse vivendum, deteriora melioribus esse subdenda, et paria paribus comparanda, et propria suis quibusque tribuenda, nonne fateberis esse verissimum, et tam mihi quam tibi atque omnibus id videntibus praesto esse communiter? E. Assentior. 29. A. Iam huiusmodi plura non quaeram: satis est enim quod istas tanquam regulas et quaedam lumina virtutum, et vera et incommutabilia, et sive singula sive omnia communiter adesse ad contemplandum eis qui haec valent sua quisque ratione ac mente conspicere, pariter mecum vides certissimumque esse concedis. Sed sane quaero utrum haec tibi videantur ad sapientiam pertinere?... Manifestissimum est igitur omnes has, quas regulas diximus et lumina virtutum, ad sapien-

tiam pertinere... Quam ergo verae atque incommutabiles sunt regulae numerorum, quorum rationem atque veritatem incommutabiliter atque communiter omnibus eam cernentibus praesto esse dixisti, tam sunt verae atque incommutabiles regulae sapientiae... easque omnibus qui haec intueri valent, communes ad contemplandum esse concedis.

a. Quid sit proprium et privatum in cognoscendo, quid quasi publicum, primo explicat analogia ex sensibus: hic quem sentio odor, hic gustus est mihi privatus; obiecta visa vel audita (v. g. sol, cantus) communia sunt omnibus. *De Lib. Arb.* II, vii, 19: «Proprium ergo et quasi privatum intelligendum est quod unicuique nostrum soli est, et quod in se solus sentit, quod ad suam naturam proprie pertinet. Commune autem et quasi publicum, quod ab omnibus sentientibus nulla sui corruptione atque commutatione sentitur». Fatetur profecto comparationem istam claudicare; *ibid.* xiv, 38.

b. De obiectis privatis intellectus, cf. *De Trin.* IX, vi, 9: « Aliter unusquisque homo loquendo enuntiat mentem suam, quid in se ipso agatur attendens; aliter autem humanam mentem speciali aut generali cognitione definit. Itaque cum mihi de sua propria loquitur, utrum intelligat hoc aut illud an non intelligat, utrum velit an nolit hoc aut illud, credo; cum vero de humana specialiter aut generaliter verum dicit, agnosco et approbo. Unde manifestum est aliud unumquemque videre in se, quod sibi alius dicenti credat, non tamen videat; aliud autem in ipsa veritate, quod alius quoque possit intueri: quorum alterum mutari per tempora, alterum incommutabili aeternitate consistere »..

c. Totum argumentum hoc fere modo potest explicari: cognoscimus obiecta omnibus mentibus communia, non sensibilia neque in sensibilibus inventa, quae in multis inferioribus (diversis sane modis) eadem realizantur, incommutabilia atque aeterna, a mentibus nostris plane independentia, secundum quae iudicamus de ceteris omnibus. Ergo cognoscimus mundum intelligibilem, ubi viget veritas aeterna.

14. - Non sensibilia neque ex sensibilibus attracta.

i. Non ex sensibilibus. - *De Lib. Arb.* II, viii, 21: Tamen si tibi aliquis diceret numeros istos non ex aliqua sua natura, sed ex iis rebus quas sensu corporis attingimus, impressos esse animo nostro quasi quasdam imagines quorumque visibilium,

quid responderes? an tu quoque id putas? E. Nullo modo id putaverim. Non enim si sensu corporis percepi numeros, idcirco etiam rationem partitionis numerorum vel copulationis sensu corporis percipere potui... Et quidquid sensu corporis tango, veluti est hoc caelum et haec terra, et quaecumque in eis alia corpora sentio, quamdiu futura sint nescio. Septem autem et tria decem sunt, et non solum nunc sed etiam semper, neque ullo modo aliquando septem et tria non fuerunt decem, aut aliquando septem et tria non erunt decem...

22. A. Non resisto tibi verissima et certissima respondenti. Sed ipsos quoque numeros non per corporis sensus attractos esse facile videbis, si cogitaveris quemlibet numerum tot vocari quoties unum habuerit: v. g. si bis habuerit unum, duo vocantur; si ter, tria; et si decies unum habent, tunc vocantur decem; et quilibet omnino numerus quoties habet unum, hinc illi nomen est et tot appellatur. Unum vero quisquis verissime cogitat, profecto invenit corporis sensibus non posse sentiri. Quidquid enim tali sensu attingitur, iam non unum sed multa esse convincitur: corpus est enim, et ideo habet innumerabiles partes.

De Vera Rel. xxx, 55: Sed cum in omnibus artibus convenientia placet, qua una salva et pulchra sunt omnia; ipsa vero convenientia aequalitatem unitatemque appetat, vel similitudine parium partium vel gradatione disparium; quis est qui summam aequalitatem vel similitudinem in corporibus inveniat, audeatque dicere, cum diligenter consideraverit quodlibet corpus, vere ac simpliciter unum esse? cum omnia vel de specie in speciem, vel de loco in locum transeundo mutentur, et partibus constent sua loca obtinentibus, per quae in spatia diversa dividuntur. Porro ipsa vera aequalitas ac similitudo, atque ipsa vera et prima unitas, non oculis carneis, neque ullo tali sensu, sed mente intellecta conspicitur. Unde enim qualiscumque in corporibus appeteretur aequalitas, aut unde convinceretur longe plurimum differre a perfecta, nisi ea quae perfecta est mente videretur?

a. In syllogismo: numeri constant unitatibus tot sumptis; atqui nulla vera unitas in corporibus, quae constant ex partibus semper minoribus; ergo notitia nostra numerorum non habetur a corporibus. Explicatur res praesertim in *De Lib. Arb.* II, viii, 22.

b. *Ibid.* 23: « Non enim ullus ullo sensu corporis omnes numeros attingit; innumerabiles enim sunt. Unde ergo novimus per omnes hoc esse [i. e. de omnibus numeris valere certas regulas et rationes], aut qua phantasia aut phantasmate tam certa veritas numeri per innumerabilia tam fidenter, nisi in luce interiore conspicitur, quam corporalis sensus ignorat ».

c. Idem ostendit de notione sapientiae, « cum multa alia possint occurrere ». *Ibid.* 26: « Sicut ergo antequam beati simus, mentibus tamen nostris impressa est notio beatitatis; per hanc enim scimus, fidenterque et sine ulla dubitatione dicimus beatos nos esse velle: ita etiam priusquam sapientes simus, sapientiae notionem in mente habemus impressam, per quam unusquisque nostrum si interrogetur velitne esse sapiens, sine ulla caligine dubitationis se velle respondet ». Cf. *De Trin.* VIII, iii, 4: « nobis impressa notio ipsius boni », et XIV, xv, 21.

ii. Intus invenitur veritas. - *De Immor. Animae* iv, 6: Sed cum vel nos ipsi nobiscum ratiocinantes, vel ab alio bene interrogati de quibusdam liberalibus artibus, ea quae invenimus non alibi quam in animo nostro invenimus: neque id est invenire, quod facere aut gignere; alioquin aeterna gigneret animus inventione temporali (nam aeterna saepe invenit: quid enim tam aeternum quam circuli ratio, vel si quid aliud in huiusmodi artibus, nec non fuisse aliquando nec non fore comprehenditur?): manifestum etiam est immortalem esse animum, et omnes veras rationes in secretis eius esse, quamvis eas sive ignoratione sive oblivione aut non habere aut amisisse videatur.

De Magistro xi, 38: De universis autem quae intelligimus, non loquentem qui personat foris, sed intus ipsi menti praesidentem consulimus veritatem, verbis fortasse ut consulamus admoniti. Ille autem qui consulitur, docet, qui in interiore homine habitare dictus est Christus, i. e. incommutabilis Dei virtus atque sempiterna sapientia.

xii, 40: Cum vero de iis agitur quae mente conspicimus, i. e. intellectu atque ratione, ea quidem loquimur quae praesentia contuemur in illa interiore luce veritatis, qua ipse qui dicitur homo interior illustratur et fruitur: sed tunc quoque noster auditor, si ipse illa secreto ac simplici oculo videt, novit quod dico sua contemplatione, non verbis meis. Ergo ne hunc quidem

doceo vera dicens, vera intuentem; docetur enim non verbis meis, sed ipsis rebus, Deo intus pandente, manifestis; itaque de his etiam interrogatus respondere posset. Quid autem absurdius quam eum putare locutione mea doceri, qui posset, antequam loquerer, ea ipsa interrogatus exponere?

Conf. X, x, 17: At vero cum audio tria genera esse quaestionum: an sit, quid sit, quale sit; sonorum quidem quibus haec confecta sunt imagines teneo, et eos per auras cum strepitu transisse ac iam non esse scio. Res vero ipsas quae illis significantur sonis neque ullo sensu corporis attigi, nec uspiam vidi praeter animum meum, et in memoria reconditi non imagines earum sed ipsas; quae unde ad me intraverint, dicant si possunt. Nam percurro ianuas omnes carnis meae, nec invenio qua earum ingressae sint... Ubi ergo, aut quare cum dicerentur agnovi et dixi: ita est, verum est; nisi quia iam erant in memoria, sed tam remota et retrusa quasi in caveis abditioribus, ut nisi admonente aliquo eruerentur, ea fortasse cogitare non possem?

xi, 18. Quocirca invenimus nihil esse aliud discere ista, quorum non per sensus haurimus imagines, sed sine imaginibus sicut sunt per seipsa intus cernimus, nisi ea quae passim atque indisposite memoria continebat, cogitando quasi colligere atque animadvertendo curare, ut tanquam ad manum posita in ipsa memoria, ubi sparsa prius et neglecta latitabant, iam familiari intentioni facile occurrant.

xii, 19: Item continet memoria numerorum dimensionumque rationes et leges innumerabiles, quarum nullam corporis sensus impressit... Vidi lineas fabrorum vel etiam tenuissimas, sicut filum araneae; sed illae aliae sunt, non sunt imagines earum quas mihi nuntiavit carnis oculus: novit eas quisquis sine ulla cogitatione qualiscumque corporis intus agnovit eas. Sensi etiam numeros omnibus corporis sensibus quos numeramus; sed illi alii sunt quibus numeramus, nec imagines istorum sunt, et ideo valde sunt. Rideat me ista dicentem, qui eos non videt, et ego doleam ridentem me.

a. Primo Augustinum allexit reminiscentia Platonica, praesupposita aliqua vita praenatali, quam tamen mox respuit. Cf. *Epis.* VII (ad Nebrid.), 2; *Solil.* II, x, 35, cum Retract.; *De Quant. An.* xx, 34, cum Re-

tract. Fusius reminiscentia Platonica refutatur, *De Trin.* XII, xv. In *Retract.* I, viii, 2, repudiata vita praenatali, et negato animam nascentis secum adferre eas artes quae ad sensum corporis pertinent, explicat quomodo puer *Menonis* interrogatus de geometria recte respondere potuerit: « quia [anima] natura intelligibilis est, et connectitur non solum intelligibilibus, verum etiam immutabilibus rebus, eo ordine facta, ut cum se ad eas res movet quibus connexa est, vel ad seipsam in quantum eas videt, in tantum de his vera respondeat ».

b. Constanter asseruit cogntionem nostram, saltem intellectualem, iure nuncupari quamdam *memoriam*. Quod totus tractatus *De Magistro* inculcat: « cuncta quae illis verbis significata sunt, in nostra notitia iam fuisse » (xi, 37); auditorem « nosse quod dico sua contemplatione, non verbis meis » (xii, 39); nos « nusquam igitur discere » (xii, 40). *De Trin.* VIII, vi, 9: « In nobis igitur novimus quid sit iustus. Non enim alibi hoc invenio cum quaero ut hoc eloquar, nisi apud meipsum »; IX, iii, 3: « Mens ergo, sicut corporearum rerum notitias per sensus corporis colligit, sic incorporearum per semetipsam. Ergo semetipsam per se ipsam novit, quoniam est incorporea ». De ipso Deo habitante in memoria nostra cf. *Conf.* X, xxv.

c. In *De Trin.* X, i, fuse explicat « amari aliquid nisi notum non posse »; unde sequitur plerasque nos habere notitias implicitas et inconscias: « nisi breviter impressam cuiusque doctrinae haberemus in animo notionem, nullo ad eam discendam studio flagraremus. » De eadem re, XIV, vii, 9: « Hinc admonemur esse in nobis in abdito mentis quarundam rerum quasdam notitias, et tunc quodammodo procedere in medium, atque in conspectu mentis velut apertius constitui, quando cogitantur... Denique recte ab eo qui commemorat, ei quem commemorat dicitur: Scis hoc, sed scire te nescis; commemorabo, et invenies te scientem quod te nescire putaveras. Id agunt et litterae, quae de his rebus conscriptae sunt, quas res duce ratione veras esse invenit lector: non quas veras esse credit ei qui scripsit, sicut legitur historia; sed quas veras esse etiam ipse invenit, sive apud se, sive in ipsa mentis luce veritate ».

15. - Immutabilia, aeterna, pluribus participata.

i. Immutabilia, aeterna. - *De Trin.* XII, xiv, 23: ad quam [sapientiam] pertinent ea quae nec fuerunt, nec futura sunt, sed sunt, et propter eam aeternitatem in qua sunt, et fuisse et esse et futura esse dicuntur, sine ulla mutabilitate temporum. Non

enim sic fuerunt ut esse desinerent, aut sic futura sunt quasi nunc non sint; sed idipsum esse semper habuerunt, semper habitura sunt. Manent autem non in spatia locorum fixa veluti corpora, sed in natura incorporali sic intelligibilia praesto sunt mentis aspectibus, sicut ista in locis visibilia vel contrectabilia corporis sensibus. Non autem solum rerum sensibilium in locis positarum manent intelligibiles incorporalesque rationes; verum etiam motionum in temporibus transeuntium sine temporali transitu stant etiam ipsae utique intelligibiles, non sensibiles. Ad quas mentis acie pervenire paucorum est; et cum pervenitur, quantum fieri potest, non in eis manet ipse perventor, sed veluti acie ipsa verberata repellitur, et fit rei non transitoriae transitoria cogitatio.

De Immort. An. i, 1: Item semper est disciplina. Nam quod est et immutabile est, semper sit necesse est. Esse autem disciplinam nemo negat. Et quisquis fatetur fieri non posse ut ducta per medium circulum linea non sit omnium, quae non per medium ducuntur, maxima, idque esse alicuius disciplinae, immutabilem disciplinam esse non negat.

iv, 5: Quis enim, ut alia omittam, aut rationem numerorum mutabilem audeat dicere, aut artem quamlibet non ista ratione constare; aut artem non esse in artifice, etiam cum eam non exercet... aut quod immutabile est esse aliquando non posse; aut aliud esse artem, aliud rationem? Quamvis enim ars una multarum quasi quidam coetus rationum esse dicatur, tamen ars etiam una ratio dici verissime atque intelligi potest. Sed sive hoc sive illud, non minus immutabilem artem esse conficitur.

a. Cf. pleraque excerpta supra et infra citata. Ut patet, A. non seorsim singulas intelligibilium proprietates evolvit.

ii. In pluribus inferioribus aliquo modo realizantur. - *De Vera Rel.* xxx, 56 (de illa aequalitate et unitate menti soli cognita): Non enim recte dici potest secundum eam iudicari rotundum canthum; et non secundum eam rotundum vasculum; aut secundum eam rotundum vasculum, et non secundum eam rotundum denarium. Similiter in temporibus atque in motibus

corporum, ridicule dicitur secundum eam iudicari aequales annos, et non secundum eam aequales menses; aut secundum eam aequales menses, et non secundum eam aequales dies. Sed sive per haec spatia, sive per horas, sive per breviora momenta convenienter moveatur aliquid, eadem una et incommutabili aequalitate iudicatur... Nunc vero cum secundum totam quadraturae legem iudicetur et forum quadratum, et lapis quadratus et tabella et gemma quadrata; rursus secundum totam aequalitatis legem iudicentur convenire sibi motus pedum currentis formicae, et secundum eam gradientis elephanti: quis eam dubitet locorum intervallis ac temporum, nec maiorem esse nec minorem, cum potentia superet omnia?

De Trin. VIII, iii, 4 (enumeratis multis et diversis bonis): Quid plura et plura? Bonum hoc et bonum illud: tolle hoc et illud, et vide ipsum bonum, si potes; ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni. Neque enim in his omnibus bonis, vel quae commemoravi, vel quae alia cernuntur sive cogitantur, diceremus aliud alio melius cum vere iudicamus, nisi esset nobis impressa notio ipsius boni, secundum quod et probaremus aliquid, et aliud alii praeponeremus... 5. Quapropter nulla essent mutabilia bona, nisi esset incommutabile bonum. Cum itaque audis bonum hoc et bonum illud quae possunt alias dici etiam non bona, si potueris sine illis quae participatione boni bona sunt, perspicere ipsum bonum cuius participatione bona sunt; simul etiam et ipsum intelligis, cum audis hoc aut illud bonum: si ergo potueris illis detractis per se ipsum perspicere bonum, perspexeris Deum.

a. *De Vera Rel.* xxxii, 60: « Nam quis non admonitus videat neque ullam speciem, neque ullum omnino esse corpus quod non habeat unitatis qualecumque vestigium? neque quantumvis pulcherrimum corpus, cum intervallis locorum necessario aliud alibi habeat, posse assequi eam quam sequitur unitatem? Quare si hoc ita est, flagitabo ut respondeat, ubi videat ipse unitatem hanc, aut unde videat? quam si non videret, unde cognosceret et quid imitaretur corporum species, et quid implere non posset? » xxxiv, 64: « Date mihi qui videat omnis unius principium non esse nisi unum solum, a quo sit omne unum, sive illud impleat sive non impleat ».

b. *De Div. Quaes.* 83. xxiii: « Omne castum castitate castum est, et omne aeternum aeternitate aeternum est, et omne pulchrum pulchritudine, et omne bonum bonitate; ergo et omne sapiens sapientia, et omne simile similitudine ». Cf. infra **18,** De Ideis.

16. - Sunt supra mentes nostras, ab ipsis independentia

De Lib. Arb. II, xii, 34 (iudicamus cum de corporibus tum de ipsa anima nostra, et quid sint, et quid esse debeant): Et iudicamus haec secundum illas interiores regulas veritatis, quas communiter cernimus: de ipsis vero nullo modo quis iudicat. Cum enim quis dixerit aeterna temporalibus esse potiora, aut septem et tria decem esse, nemo dicit ita esse debuisse, sed tantum ita esse cognoscens, non examinator corrigit, sed tantum laetatur inventor. Si autem esset aequalis mentibus nostris haec veritas, mutabilis etiam ipsa esset. Mentes enim nostrae aliquando eam plus vident, aliquando minus, et ex hoc fatentur se esse mutabiles; cum illa in se manens nec proficiat cum plus a nobis videtur, nec deficiat cum minus, sed integra et incorrupta, et conversos laetificet lumine, et aversos puniat caecitate. Quid, quod etiam de ipsis mentibus nostris secundum illam iudicamus, cum de illa nullo modo iudicare possimus? Dicimus enim: minus intelligit quam debet, aut tantum quantum debet intelligit. Tantum autem mens debet intelligere, quantum propius admoveri atque inhaerere potuerit incommutabili veritati. Quare si nec inferior nec aequalis est, restat ut sit superior atque excellentior.

De Vera Rel. xxx, 56: Haec autem lex omnium artium cum sit omnino incommutabilis, mens vero humana, cui talem legem videre concessum est, mutabilitatem pati possit erroris, satis apparet supra mentem nostram esse legem, quae veritas dicitur.

xxxi, 57. Itaque cum se anima sentiat nec corporum speciem motumque iudicare secundum seipsam, simul oportet agnoscat praestare suam naturam ei naturae de qua iudicat; praestare autem sibi eam naturam secundum quam iudicat, et de qua iudicare nullo modo potest... Quapropter tanto meliora esse iudico quae oculis cerno, quanto pro sua natura viciniora sunt iis quae animo intelligo. Quare autem illa ita sint, nullus potest dicere;

nec ita esse debere quisquam sobrie dixerit, quasi possint esse non ita.

58. Aeternam igitur legem mundis animis fas est cognoscere, iudicare non fas est. Hoc autem interest, quod ad cognoscendum satis est ut videamus ita esse aliquid vel non ita; ad iudicandum vero addimus aliquid quod significemus posse esse et aliter, velut cum dicimus: ita esse debet, aut ita esse debuit, aut ita esse debebit; ut in suis operibus artifices faciunt.

Conf. VII, xvii, 23: Quaerens enim unde adprobarem pulchritudinem corporum sive caelestium sive terrestrium, et quid mihi praesto esset integre de mutabilibus iudicanti et dicenti: hoc ita esse debet, illud non ita; hoc ergo quaerens, unde iudicarem cum ita iudicarem, inveneram incommutabilem et veram veritatis aeternitatem supra mentem meam commutabilem.

a. *De Vera Rel.* xxxix, 73: «Non enim ratiocinatio talia facit sed invenit. Ergo antequam inveniantur in se manent, et cum inveniuntur nos innovant». *De Gen. ad Lit.* XII, xxiv, 50: praestantius est lumen visionis intellectualis, «quo et ista inferiora diiudicantur, et ea cernuntur quae neque sunt corpora, neque ullas gerunt formas similes corporum: velut ipsa mens et omnis animae affectio bona, cui contraria sunt eius vitia, quae recte culpantur atque damnantur in hominibus».

17. - Ita constat Deum esse

De Vera Rel. xxxi, 57: Nec iam illud ambigendum est, incommutabilem naturam, quae supra rationalem animam sit, Deum esse; et ibi esse primam vitam et primam essentiam, ubi est prima sapientia. Nam haec est illa incommutabilis veritas, quae lex omnium artium recte dicitur, et ars omnipotentis artificis.

De Lib. Arb. II, xiii, 35: Promiseram autem, si meministi, me tibi demonstraturum esse aliquid quod sit mente nostra atque ratione sublimius. Ecce tibi est ipsa veritas: amplectere illam si potes, et fruere illa, et delectare in Domino; et dabit tibi petitiones cordis tui. Quid enim petis amplius quam ut beatus sis? Et quid beatius eo qui fruitur inconcussa et incommutabili et excellentissima veritate?

xv, 39. Tu autem concesseras, si quid supra mentes nostras esse monstrarem, Deum te esse confessurum, si adhuc nihil esset superius. Quam tuam concessionem accipiens, dixeram satis esse ut hoc demonstrarem. Si enim aliquid est excellentius, ille potius Deus est; si autem non est, iam ipsa veritas Deus est. Sive ergo illud sit, sive non sit, Deum tamen esse negare non poteris: quae nobis erat ad disserendum et tractandum quaestio constituta.

a. Plerumque concludit A. immediate Deum exsistere, sicut in *De Vera Rel.*, quasi idem esset cognoscere veritatem aeternam et a mente independentem, et Deum invenire. Cf. *Conf.* VII, xvii, 23, citatum supra sub **6,** IX, x, 24 (colloquium Ostiense); X, xxiv: «Ubi enim inveni veritatem, ibi inveni Deum meum, ipsam veritatem, quam ex quo didici non sum oblitus»; ibid. xxvi: «Ubi ergo te inveni [i. e. Veritatem], ut discerem te, nisi in te supra me?... Veritas, ubique praesides omnibus consulentibus te, simulque respondes omnibus diversa consulentibus».

b. Non videtur magni facere illum circuitum in *De Libero Arbitrio:* «si adhuc nihil esset superius»; cf. II, vi, 14: «Sed quaeso te, si non inveneris esse aliud supra nostram rationem, nisi quod aeternum atque incommutabile est, dubitabisne hunc Deum dicere?... Quae [ratio] si nullo adhibito corporis instrumento... per seipsam cernit aeternum aliquid et incommutabile, simul et seipsam inferiorem, et illum oportet Deum suum esse fateatur». *De Trin.* VIII, ii, 3: «Ecce vide, si potes: Deus veritas est... Noli quaerere quid sit veritas; statim enim se opponent caligines imaginum corporalium et nubila phantasmatum, et perturbabunt serenitatem quae primo ictu diluxit tibi, cum dicerem: veritas. Ecce in ipso primo ictu quo velut coruscatione perstringeris cum dicitur 'veritas' mane si potes». *De Civ. Dei* VII, ii; Deus cum homine «loquitur ipsa veritate, si quis est idoneus ad audiendum mente, non corpore. Ad illud enim hominis loquitur, quod in homine caeteris quibus homo constat est melius, et quo ipse Deus solus est melior».

c. Iuvat distinguere hos sensus diversos vocis *veritatis* apud A.: conformitas cognitionis cum obiecto; ipsa cognitio vera vel propositio vera; conformitas loquelae cum mente loquentis; res quatenus participant ideas divinas; ipsa intelligibilia; Deus; Verbum Dei quod est imago perfecta Patris. Fere semper usurpatur sensu ontologico, a quo sensus logicus haud clare discernitur.

d. Cum hoc velit ostendere A.: in qualibet veritate cognita implicari etiam cognitionem Dei, patet hunc ultimum ascensus gressum, qui

certe est omnium intellectu difficillimus, esse etiam longe praecipuum. Brevissime in *De Vera Rel.* xxxix, 73: « Si certum est te esse dubitantem, quaere unde sit certum: non illic tibi, non omnino solis huius lumen occurret, sed lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ». Pendet itaque solutio difficultatis a natura istius illuminationis. Sed praemittendum est caput de IDEIS.

18. - De Ideis

Retrac. I, iii, 4: Nec Plato quidem in hoc erravit, quia esse mundum intelligibilem dixit... Mundum quippe ille intelligibilem nuncupavit ipsam rationem sempiternam atque incommutabilem, qua fecit Deus mundum. Quam qui esse negat, sequitur ut dicat irrationabiliter Deum fecisse quod fecit; aut cum faceret, aut antequam faceret, nescisse quid faceret; si apud eum ratio faciendi non erat. Si vero erat, sicut erat, ipsam videtur Plato vocasse intelligibilem mundum. Nec tamen isto nomine nos uteremur, si iam satis essemus litteris ecclesiasticis eruditi.

De Div. Quaes. 83, xlvi, 1 (quamvis nomen idearum invenerit Plato, non primus ideas esse intellexit): Non est enim verisimile sapientes aut nullos fuisse ante Platonem, aut... istas non intellexisse; siquidem tanta in eis vis constituitur, ut nisi his intellectis sapiens esse nemo possit.

2. Ideae igitur latine possumus vel formas vel species dicere [vel etiam rationes, logoi]... Sunt namque ideae principales formae quaedam, vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quae ipsae formatae non sunt, ac per hoc aeternae ac semper eodem modo se habentes, quae in divina intelligentia continentur. Et cum ipsae neque oriantur neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri et interire potest, et omne quod oritur et interit. Anima vero negatur eas intueri posse, nisi rationalis, ea sua parte qua excellit, i. e. ipsa mente atque ratione, quasi quadam facie vel oculo suo interiore atque intelligibili. Et ea quidem ipsa rationalis anima non omnis et quaelibet, sed quae sancta et pura fuerit, haec asseritur illi visioni esse idonea: i. e., quae illum ipsum oculum quo videntur ista, sanum et sincerum et similem his rebus habuerit... Quis audeat dicere

Deum irrationabiliter omnia condidisse? Quod si recte dici vel credi non potest, restat ut omnia ratione sint condita. Nec eadem ratione homo qua equus: hoc enim absurdum est existimare. Singula igitur propriis sunt creata rationibus. Has autem rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente creatoris? Non enim extra se quidquam positum intueabatur, ut secundum id constitueret quod constituebat... [Quare] non solum sunt ideae, sed ipsae verae sunt, quia aeternae sunt, atque eiusmodi atque incommutabiles manent; quarum participatione fit ut sit quidquid est, quoquo modo est. Sed anima rationalis, inter eas res quae sunt a Deo conditae, omnia superat: et Deo proxima est, quando pura est; eique in quantum caritate cohaeserit, in tantum ab eo lumine illo intelligibili perfusa quodam modo et illustrata, cernit, non per corporeos oculos, sed per ipsius sui principale quo excellit, i. e. per intelligentiam suam, istas rationes, qua fit beatissima... [Quas conceditur] paucissimis videre quod verum est.

a. Alia excerpta de modo quo participantur, supra, **15, ii,** et infra **22, iii.**

b. Sicut Platoni seniori, placuit Augustino ideas cum numeris identificare, quo sensu refert illud *Sap.* xi, 21 : « Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti ». De Ordine II, xv, 42; *De Lib. Arb.* II, xvi, 42 : « Intuere caelum et terram et mare, et quaecumque in eis vel desuper fulgent, vel deorsum repunt vel volant vel natant; formas habent, quia numeros habent: adime haec, nihil erunt. A quo ergo sunt, nisi a quo numerus: quandoquidem in tantum illis est esse, in quantum numerosa esse ». Neque sola corpora constant numeris; *De Gen. ad Lit.* IV, iv, 7: « Est etiam mensura aliquid agendi... et est numerus affectionum animi et virtutum... et est pondus voluntatis et amoris »; quae omnia non sunt nisi participationes deficientes alicuius « mensurae sine mensura » et « numeri sine numero », qui in Deo est, quo formantur omnia Sitne numerus et sapientia idem, cf. *De Lib. Arb.* II, xi.

c. Ideae, sive numeri ideales, sunt ipsa Dei sapientia, ipse Deus. *De Lib. Arb.* II, xvi, 42 : « Transcende ergo [ista omnia] ut numerum sempiternum videas : iam tibi sapientia de ipsa interiore sede fulgebit, et de ipso secretario veritatis ». *De Gen. ad Lit.* IV, iii, 7 : « Sed quomodo illa ipse? Neque enim Deus mensura est, aut numerus, aut pondus, aut ista omnia. An secundum id quod novimus mensuram in eis quae metimur, et numerum in eis quae numeramus, et pondus in eis quae appendimus, non est Deus ista; secundum id vero quod men-

sura omni rei modum praefigit, et numerus omni rei speciem praebet, et pondus omnem rem ad quietem ac stabilitatem trahit, ille primitus et veraciter et singulariter ista est, qui terminat omnia, et format omnia, et ordinat omnia ».

d. *In Epis.* XIV, 4, conatur respondere Nebridio quaerenti sitne una generaliter idea hominis in Verbo divino, an idea singulorum hominum. Responsum sat anceps et obscurum : « Ita quilibet homo, una ratione, qua intelligitur, factus est : at ut populus fiat, quamvis et ipsa una ratio, non tamen hominis ratio sed hominum... Quamobrem quod plurimorum hominum ibi ratio est, non ad ipsum hominem pertinet, quamquam miris rursum modis ad unum omnia redigantur ». Videtur plerumque supponere singulorum rationes ibi esse.

19. - De lumine intelligibili

i. Deus sol qui res illustrat, mentem illuminat. - *Solil.* I, i, 3: Te invoco... Deus intelligibilis lux, in quo et a quo et per quem intelligibiliter lucent, quae intelligibiliter lucent omnia.

viii, 15: Intelligibilis nempe Deus est, intelligibilia etiam illa disciplinarum spectamina; tamen plurimum differunt. Nam et terra visibilis et lux; sed terra, nisi luce illustrata, videri non potest. Ergo et illa quae in disciplinis traduntur, quae quisquis intelligit, verissima esse nulla dubitatione concedit, credendum est ea non posse intelligi nisi ab alio quasi suo sole illustrentur. Ergo quomodo in hoc sole tria quaedam licet animadvertere: quod est, quod fulget, quod illuminat; ita in illo secretissimo Deo quem vis intelligere, tria quaedam sunt: quod est, quod intelligitur, et quod caetera facit intelligi.

In Ioan. Evan. XXXV, 3: Quomodo ergo ista in facie quae habemus et lumine nuncupamus, et quando sana sunt, et quando patent, indigent extrinsecus adiutorio luminis; quo ablato aut non illato, sana sunt, aperta sunt, nec tamen vident: sic mens nostra, qui est oculus animae, nisi veritatis lumine radietur, et ab illo qui illuminat nec illuminatur, mirabiliter illustretur, nec ad sapientiam nec ad iustitiam poterit pervenire.

a. Ad Platonicos hanc doctrinam refert; *De Civ. Dei* VIII, vii: « Lumen autem mentium esse dixerunt ad discenda omnia, eumque ipsum Deum a quo facta sunt omnia » ; *ibid.* X, ii ; cf. infra, **iv.**

Solil. I. xiii, xiv, redolet allegorias Platonis, imprimis allegoriam speluncae: qui gradatim per sensibilia mentis aciem ad semper pulchriora erigit, tandem aliquando « sine trepidatione et cum magna voluptate solem videbit ».

b. Eandem tamen doctrinam putat proferri pluribus locis Scripturae Sacrae: « Erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum »; « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine »; « Tu illuminabis lucernam meam, Domine. Lumine tuo illuminabis tenebras meas »; « Ego sum lux mundi; qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae », etc.

c. De Magistro interiore qui nos illuminat quotiescumque eum consulimus, cf. supra, **14, ii.**

ii. Alii textus de eodem lumine. - *Conf.* VII, x, 16 (lectis libris Platonicorum): Intravi [in intima mea] et vidi qualicumque oculo animae meae, supra eundem oculum animae meae, supra mentem meam lucem incommutabilem, non hanc vulgarem et conspicuam omni carni... Non hoc illud erat sed aliud, aliud valde ab istis omnibus. Nec ita erat supra mentem meam, sicut oleum super aquam nec sicut caelum super terram, sed superior, quia ipsa fecit me, et ego inferior, quia factus ab ea. Qui novit veritatem, novit eam; et qui novit eam, novit aeternitatem. Caritas novit eam... Et reverberasti infirmitatem aspectus mei, radians in me vehementer, et contremui amore et horrore... Et dixi: numquid nihil est veritas, quoniam neque per finita neque per infinita locorum spatia diffusa est? Et clamasti de longinquo: *Ego sum qui sum. Et audivi sicut auditur in corde, et non erat prorsus unde dubitarem, faciliusque dubitarem vivere me quam non esse veritatem, quae per ea quae facta sunt intellecta conspicitur.

Epis. CXLVII (ad Paulinam), xvii, 42: Quae cum ita sint, obsecro te, cum agitur in te hoc tam grande negotium: cum ab exterioribus interiora distinguis, atque illa istis ineffabiliter anteponis... in nulla te putas, an in aliqua luce versari? Ego enim existimo quod tanta tibi et talia, tam vera, tam clara, tam certa, videri sine luce non possunt. Ipsam igitur lucem, in qua cuncta illa perspicis, intuere.

43. [Cum ipsae nostrae imaginationes nullis locorum spatiis contineantur] quanto magis illa quae nullam gerunt similitudi-

nem corporum: caritas, gaudium, longanimitas, pax, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, nulla locorum spatia tenent, nulla intercapedine separantur, aut aliqua oculi cordis, quo radios suos mittant et ea videant, intervalla conquirunt!

44. [Iamvero] si ea quae in ea luce cordis oculis intuemur, et discernuntur inter se, et nullis locorum spatiis separantur; quanto magis Deus, qui lucem inhabitat inaccessibilem corporis sensibus, quo nec ipsius nisi mundi potest esse cordis accessus! Cum igitur lucem istam omni corporali luci, non solum iudicio rationis, sed amoris quoque appetitu praeposuerimus, quanto id magis valebimus, tanto melius valebimus, donec sanentur omnes languores animae nostrae ab illo qui propitius fit omnibus iniquitatibus nostris.

De Gen. ad Lit. XII, xxxi, 59: Sic etiam in illo genere intellectualium visorum, alia sunt quae in ipsa anima videntur, velut virtutes quibus vitia opponuntur... etiam ipsae intellectualiter videntur; neque enim aut corpora sunt, aut species habent similes corporum. Aliud autem est ipsum lumen quo illustratur anima, ut omnia vel in se vel in illo veraciter intellecta conspiciat: nam illud iam ipse Deus est, haec autem creatura, quamvis rationalis et intellectualis ad eius imaginem facta, quae cum conatur lumen illud intueri, palpitat infirmitate et minus valet. Cum ergo illuc rapitur, et a carnalibus subtracta sensibus, illi visioni expressius praesentatur, non spatiis localibus, sed modo quodam suo, etiam supra se videt illud, quo adiuta videt quidquid etiam in se intelligendo videt.

a. Luculenter patet ex textibus iam citatis S. Augustinum non provocare ad illud lumen sicut philosophus dumtaxat, qui merum postulatum epistemologicum proferat, sed cum affectu religioso et mystico. Superat enim caput mentis non purgatae, fugit amplexum cordis non amantis et desiderantis: « caritas novit eam ». Quare non laborat eius modum operandi in nobis analysi subiicere vel psychologice explicare, sed indicata eius natura incorporea et suprasensibili, potius hortatur ut quid sit experiendo cognoscamus. Neque solet distinguere illuminationem naturalem, quae ad quamlibet intellectionem requiritur, ab illuminatione fidei et gratiae. Quod tamen admittit illuminationem naturalem apparebit textibus qui sequuntur.

iii. Agitur de illuminatione naturali. Eius ambitus. *De Trin.* XII, xv, 25 (refutando reminiscentiam Platonicam): sed potius credendus est mentis intellectualis ita conditam esse naturam, ut rebus intelligibilibus naturali ordine, disponente Conditore, subiuncta sic ista videat in quadam luce sui generis incorporea, quemadmodum oculus carnis videt quae in hac corporea luce circumiacent, cuius lucis capax eique congruens est creatus... Denique cur de solis rebus intelligibilibus id fieri potest, ut bene interrogatus quisque respondeat quod ad quamque pertinet disciplinam, etiamsi eius ignarus est? Cur hoc facere de rebus sensibilibus nullus potest, nisi quas isto vidit in corpore constitutus, aut eis quae noverant indicantibus credidit, seu litteris cuiusque seu verbis?

De Trin. XIV, xv, 21 (quo sensu anima Domini Dei sui reminiscitur): Sed commemoratur ut convertatur ad Dominum, tanquam ad eam lucem qua etiam cum ab illo averteretur, quodam modo tangebatur. Nam hinc est quod etiam impii cogitant aeternitatem, et multa recte reprehendunt recteque laudant in hominum moribus. Quibus ea tandem regulis iudicant, nisi in quibus vident quemadmodum quisque vivere debeat, etiamsi nec ipsi eodem modo vivant? Ubi eas vident? Neque enim in sua natura, cum procul dubio mente ista videantur, eorumque mentes constat esse mutabiles, has vero regulas immutabiles videat quisquis in eis et hoc videre potuerit; nec in habitu suae mentis, cum illae regulae sint iustitiae, mentes vero eorum constet esse iniustas. Ubinam sunt istae regulae scriptae, ubi quid sit iustum et iniustus agnoscit, ubi cernit habendum esse quod ipse non habet? Ubi ergo scriptae sunt, nisi in libro lucis illius quae veritas dicitur? unde omnis lex iusta describitur, et in cor hominis qui operatur iustitiam, non migrando, sed tanquam imprimendo transfertur; sicut imago ex annulo, et in ceram transit et annulum non relinquit. Qui vero non operatur, et tamen videt quod operandum sit, ipse est qui ab illa luce avertitur, a qua tamen tangitur. Qui autem nec videt quemadmodum sit vivendum, excusabilius quidem peccat, quia non est transgressor cognitae legis; sed etiam ipse splendore aliquoties ubique praesentis veritatis attingitur, quando admonitus confitetur.

Epis. CXX (Ad Consentium), x: Iustitiam vero et sapientiam quidquid eiusmodi est, non aliter imaginamur, aliter contuemur; sed haec indivisibilia simplici mentis atque rationis intentione intellecta conspicimus, sine ullis formis et molibus localibus... Ipsumque lumen, quo cuncta ista discernimus, in quo nobis satis apparet quid credamus incognitum, quid cognitum teneamus, quam formam corporis recordemur, quam cogitatione fingamus, quid corporis sensus attingat, quid imaginetur animus simile corpori, quid certum et omnium corporum dissimillimum intelligentia contempletur: hoc ergo lumen ubi haec cuncta diiudicantur, non utique sicut huius solis et cuiusque corporei luminis fulgor, per localia spatia circumquaque diffunditur, mentemque nostram visibili candore illustrat, sed invisibiliter et ineffabiliter, sed tamen intelligibiliter lucet, tamque nobis certum est, quam nobis efficit certa quae secundum ipsum cuncta conspicimus.

a. Cf. *Retract.* I, iv, imperitos bene interrogatos recte respondere « quia praesens est eis, quantum id capere possunt, lumen rationis aeternae, ubi haec immutabilia vera conspiciunt »; vel (*ibid.* viii, 2) « quia natura intelligibilis est [anima], et connectitur non solum intelligibilibus, verum etiam immutabilibus rebus, eo ordine facta, * ut cum se ad eas res movet vel ad seipsam, in quantum eas videt, in tantum de his vera respondet ». *De Immort. An.* x, 17: « Haec autem quae intelliguntur eodem modo se habentia, cum ea intuetur animus, satis ostendit se illis esse coniunctum miro quodam eodemque incorporali modo, scilicet non corporaliter ».

b. Quid possit homo naturalis, sat fuse exponit in *De Civ. Dei* XXII, xxiv, ubi loquitur « de natura mentis humanae, qua ista vita mortalis ornatur, non de fide atque itinere veritatis, qua illa immortalis acquiritur ».

iv. Non est ipse intellectus noster. - *De Civ. Dei* X, ii (de Platonicis): Sed non est nobis ullus cum his excellentioribus philosophis in hac quaestione conflictus. Viderunt enim, suisque litteris multis modis copiosissime mandaverunt, hinc illos [i. e. spiritus superiores] unde et nos, fieri beatos: obiecto quodam lumine intelligibili, quod Deus est illis, et aliud est quam illi,

a quo illustrantur ut clareant, atque eius participatione perfecti beatique subsistant. Saepe multumque Plotinus asserit, sensum Platonis explanans, ne illam quidem, quam credunt esse universitatis animam, aliunde beatam esse quam nostram; idque esse lumen quod ipsa non est, sed a quo creata est, et quo intelligibiliter lucet. [Sicut luna quae solis obiectu illuminatur]. Dicit ergo ille magnus Platonicus animam rationalem (sive potius intellectualis dicenda sit, ex quo genere etiam immortalium beatorumque animas esse intelligit, quos in caelestibus sedibus habitare non dubitat) non habere supra se naturam nisi Dei, qui fabricatus est mundum, a quo et ipsa facta est; nec aliunde illis supernis praeberi vitam beatam, et lumen intelligentiae veritatis, quam unde praebetur et nobis; consonans Evangelio, ubi legitur: ... Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In qua differentia satis ostenditur, animam rationalem vel intellectualem, qualis erat in Ioanne, sibi lumen esse non posse, sed alterius veri luminis participatione lucere.

In Ioan. Evan. I, 19: Sed forte stulta corda adhuc capere istam lucem non possunt, quia peccatis suis aggravantur, ut eam videre non possint. Non ideo cogitent quasi absentem esse lucem, quia eam videre non possunt; ipsi enim propter peccata tenebrae sunt. ' Et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt '. Ergo, fratres, quomodo homo positus in sole caecus, praesens est illi sol, sed ipse soli absens est, sic omnis stultus, omnis impius caecus est corde... Mundet unde possit videri Deus.

II, 6: ' Erat lux vera '. Quare additum est *vera?* Quia et homo illuminatus dicitur lux; sed vera lux illa est quae illuminat. Nam et oculi nostri dicuntur lumina; et tamen nisi per noctem lucerna accendatur, aut per diem sol exeat, lumina ista sine causa patent.

Sermo LXVII, v, 8: Prorsus quod ad teipsum pertinet, quod ad tua, tenebrosus es. Quid est enim aliud esse stultum, nisi esse tenebrosum in corde... Dic quia tu tibi lumen non es. Ut multum, oculus es; lumen non es. Quid prodest patens et sanus oculus, si lumen desit? Ergo dic a te tibi lumen non esse; et clama quod scriptum est: ' Tu illuminabis lucernam meam, Do-

mine'; lumine tuo, 'Domine, illuminabis tenebras meas'. Meae enim nihil nisi tenebrae. Tu autem lumen fugans tenebras, illuminans me, non a me mihi lumen exsistens, sed lumen non participans nisi in te.

a. *In Ioan. Evan.* XXXV, 3, citato illo textu 'Non erat ille lumen... Erat lumen verum quod illuminat' etc.: « Hoc ergo discernite, aliud esse lumen quod illuminat, aliud esse quod illuminatur. Nam et oculi nostri lumina dicuntur... sic mens nostra, qui est oculus animae, nisi veritatis lumine radietur, et ab illo qui illuminat nec illuminatur, mirabiliter illustretur, nec ad sapientiam nec ad iustitiam poterit pervenire ». *De Pec. Meritis* I, xxv, 37, explicando verba 'venientem in hunc mundum': « aut si rationem ipsam, qua humana anima rationalis appellatur, quae ratio adhuc velut quieta et quasi sopita, tamen insita et quasi inseminata in parvulis latet, illuminationem voluit appellare, tanquam interioris oculi creationem; non resistendum est tunc eam fieri cum anima creatur, nec absurde hoc intelligi cum homo venit in mundum. Verumtamen etiam ipse quamvis iam creatus oculus, necesse est in tenebris maneat, si non credit in eum qui dixit: Ego lux in saeculum veni, ut omnis qui credit in me non maneat in tenebris ». Ex quo textu clare apparet difficultas discernendi apud A. inter lucem naturalem et supranaturalem.

b. De luce creata ipsius intellectus, *Contra Faustum* XX, vii: « ab hac quoque cogitatione qua certa et nota corpora cogito, longe incomparabiliter distat cogitatio qua intelligo iustitiam, castitatem...: quae cogitatio, dicite si potestis quale lumen sit, quo illa omnia quae hoc non sunt, et inter se discernuntur, et quantum ab hoc distent, fida manifestatione cognoscitur. Et tamen etiam hoc lumen non est lumen illud quod Deus est; hoc enim creatura est, creator est ille; hoc factum, ille qui fecit: hoc denique mutabile, dum vult quod nolebat, et scit quod nesciebat, et reminiscitur quod oblitum erat; illud autem incommutabili voluntate, veritate, aeternitate persistit ». *Epist.* CXLVII (ad Paulinam) xviii, 45: caritas Verbi « quae supereminet scientiae, cuius cognitione implebimur in omnem plenitudinem Dei, non est nostrae mentis luce inferior, quae illa illuminante tribuitur. Porro si ista inaccessibilis est oculis carnis, quanto magis illa, huic inconparabiliter supereminens ». Et pluries in *De Gen. ad Lit.*, ubi explicat illuminationem angelorum, v. g. I, xvii, 32; III, xx, 31.

c. Vocatur lux etiam « vita sentiens » (*De Gen. Liber Imperf.* v. 24), et imaginatio operatur « luce quadam incorporali ac sua » (*De Gen. ad Lit.* XII, xxx, 58).

v. **Agitur de quodam intuitu sine intermedio.** - *De Vera Rel.* lv, 113: Religet ergo nos religio uni omnipotenti Deo; quia inter mentem nostram qua illum intelligimus Patrem, et veritatem, i. e. lucem interiorem per quam illum intelligimus, nulla interposita creatura est. Quare ipsam quoque veritatem nulla ex parte dissimilem in ipso et cum ipso veneremur, quae forma est omnium quae ab uno facta sunt, et ad unum nituntur.

De Trin. VIII, vi, 9: Homo ergo qui creditur iustus, ex ea forma et veritate diligitur, quam cernit et intelligit apud se ille qui diligit; ipsa vero forma et veritas, non est quomodo aliunde diligatur. Neque enim invenimus aliquid tale praeter ipsam, ut eam, cum incognita est, credendo diligamus ex eo quod iam tale aliquid novimus. Quidquid enim tale aspexeris, ipsa est; et non est quidquam tale, quoniam sola ipsa talis est, qualis ipsa est.

De Trin. IX, vi, 9: Neque enim oculis corporeis multas mentes videndo, per similitudinem colligimus generalem vel specialem mentis humanae notitiam; sed intuemur inviolabilem veritatem, ex qua perfecte, quantum possumus, definiamus, non qualis sit uniuscuiusque hominis mens, sed qualis esse sempiternis rationibus debeat.

10. Unde etiam phantasias rerum corporalium... aliis omnino regulis supra mentem nostram incommutabiliter manentibus, vel approbare apud nosmetipsos vel improbare convincimur, cum recte aliquid approbamus aut improbamus... viget et claret desuper iudicium veritatis, ac sui iuris incorruptissimis regulis firmum est.

11. Ipsa vero forma inconcussae ac stabilis veritatis, et in qua fruerer homine bonum eum credens, et in qua consulo ut bonus sit, eadem luce incorruptibilis sincerissimaeque rationis, et meae mentis aspectum, et illam phantasiae nubem quam desuper cerno, cum eundem hominem quem videram cogito, imperturbabili aeternitate perfundit... [Aliter opera artis sensibus percipimus] aliter autem rationes artemque ineffabiliter pulchram talium figurarum super aciem mentis simplici intelligentia capientes.

a. Nulla interest creatura inter mentem et Deum; *De Mus.* VI, i, 1: laboravit A. ut homines « Deo et Domino rerum omnium, qui humanis mentibus nulla natura interposita praesidet, incommutabilis veritatis amore adhaerescerent ». *De Quant. An.* xxxiv, 77: « quaemadmodum fatendum est animam humanam non esse quod Deus est, ita praesumendum nihil inter omnia quae creavit Deo esse propinquius ». Cuius ratio theologica est quod anima est imago Dei, quod potest dici de illa sola natura « qua superior ipse solus est. Ea quippe de illo prorsus exprimitur, inter quam et ipsum nulla interiecta natura est » (*De Trin.* XI, v, 8).

b. Cum saepe dicat A. lumen illud, vel veritatem quam manifestat esse ipsum Deum, illuminatio de qua loquitur videtur involvere quemdam intuitum immediatum essentiae divinae, — rationum aeternarum in Verbo subsistentium. Pleraque excerpta jam citata hoc sonant. Vide etiam, v. g., *In Ioan. Evan.* XV, 19: « Hoc ipsum animae quod intellectus et mens dicitur, illuminatur luce superiore. Iamvero superior illa lux, qua mens humana illuminatur, Deus est ». *Ibid.* XII, 13: « Quia et hoc ipsum quod tibi displicuit peccatum tuum, non tibi displiceret, nisi Deus tibi luceret et eius veritas tibi ostenderet ». *In Ps.* VIII, 6: « Quandoquidem Filius Dei virtus et sapientia Dei est, qua illustratur quisquis veritate sapiens efficitur ». *De Util. Credendi* xv, 33: « Cum enim sapiens sit Deo ita mente coniunctus, ut nihil interponatur quod separet. Deus enim est veritas; nec ullo pacto sapiens est, si non veritatem mente contingat ». *In Ioan. Evan.* XXXV, 4: sicut sol omnibus praesens est, « Sic et sapientia Dei, Verbum Dei, Dominus I. C. ubique praesens est; quia ubique est veritas, ubique est sapientia ».

c. Animadvertendum est A. prae oculis habuisse sive adversarios materialistas et sensistas, sive Christianos illi modo cogitandi nimis deditos; neque ullum in hoc sensisse periculum quod forte ultra modum exaggeraret indolem immediatam nostrae communionis cum Deo.

vi. Rarissimus est intuitus immediatus Dei in hac vita. - *De Gen. ad Lit.* XII, xxvi, 54 (de raptu intellectuali): Ibi videtur claritas Domini, non per visionem significantem... sed per speciem, non per aenigmata, quantum eam capere mens humana potest secundum assumentis Dei gratiam, ut os ad os loquatur ei quem dignum tali Deus colloquio fecerit, non os corporis sed mentis; sicut intelligendum arbitror quod de Moyses scriptum est.

55. Concupiverat enim, sicut in Exodo legimus, videre Deum; non utique sicut viderat in monte, nec sicut videbat in tabernaculo, sed in ea substantia qua Deus est... per speciem suam, quantum eam capere creatura rationalis et intellectualis potest... Illo modo ergo, in illa specie qua Deus est, longe ineffabiliter secretius et praesentius loquitur locutione ineffabili, ubi eum nemo videns vivet vita ista, qua mortaliter vivitur in istis sensibus corporis; sed nisi ab hac vita quisque quodam modo moriatur, sive omnino exiens de corpore, sive ita aversus et alienatus a carnalibus sensibus, ut merito nesciat, sicut Apostolus ait, utrum in corpore an extra corpus sit, cum in illam rapitur et subvehitur visionem.

Epis. CLXVII (ad Paulinam) xiii, 31: Deinde potest movere quomodo iam ipsa Dei substantia videri potuerit a quibusdam in hac vita positis, propter illud quod dictum est ad Moysen, ' Nemo potest faciem meam videre et vivere ': nisi quia potest humana mens divinitus rapi ex hac vita ad angelicam vitam, antequam per istam communem mortem carne solvatur. Sic enim raptus est, qui audivit illic ineffabilia verba [Paulus].... quia necesse est abstrahi ab hac vita mentem, quando in illius ineffabilitatem visionis assumitur; et non sit incredibile quibusdam sanctis, nondum ita defunctis ut sepelienda cadavera remanerent, etiam istam excellentiam revelationis fuisse concessam.

De Trin. XV, viii, 14: Incorporalem substantiam scio esse sapientiam, et lumen esse in quo videntur quae oculis carnalibus non videntur: et tamen vir tantus tamque spiritualis ' Videmus nunc, inquit, per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem '. Quale sit et quod sit hoc speculum si quaeramus, profecto illud occurrit quod in speculo nisi imago non cernitur. Hoc ergo facere conati sumus, ut per imaginem hanc quod nos sumus, videremus utcumque a quo facti sumus, tanquam per speculum. Hoc significat etiam illud quod ait idem Apostolus: ' Nos autem gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur de gloria in gloriam, tanquam a Domini spiritu '. *Speculantes* dixit, per speculum videntes, non de specula prospicientes. Quod in graeca lingua non est ambiguum, unde in latinam translatae sunt apostolicae litterae. Ibi quippe *speculum*,

ubi apparent imagines rerum, a *specula* de cuius altitudine longius aliquid intuemur, etiam sono verbi distat omnino; satisque apparet Apostolum a speculo, non a specula dixisse, 'gloriam Domini speculantes'.

a. Opinatur itaque A. singulari quodam privilegio visionem Dei in sua substantia concessam esse Moysi, Apostolo Paulo, et aliis forte paucissimis; quamvis nonnunquam exponat illos textus 'Deum nemo vidit unquam', 'Non homo videbit faciem meam et vivet', 'Nunc per speculum in aenigmate', etc., nullis factis exceptionibus. Non ergo omnis qui novit veritatem, intuetur divinam substantiam. Neque videtur A. ullo modo sentire talia dicta, quibus negatur homini intuitus immediatus Dei in hac vita, pugnare cum doctrina sua de divina illuminatione. Ita, paulo post illum textum ex *De Gen. ad Lit.* XII, xxvi, occurrit locus (supra citatus sub **ii**) ubi dicit: «Aliud autem est ipsum lumen, quo illustratur anima, ut omnia vel in se vel in illo veraciter intellecta conspiciat: nam illud iam ipse Deus est». — Argumenta contra interpretationem Ontologistarum breviter tradit GRABMANN, *Der göttliche Grund*, pp. 18-20.

b. In excerpto transcripto ex *De Trin.* XV, viii, visio *per speculum*, i. e. per imaginem, distinguitur explicite a visione *a specula*, i. e. procul intuendo ipsam rem. Imago vero et aenigma, in quo Deum utcumque in hac vita cernimus, est ipsa nostra anima, quae quam sit imperfecta similitudo, saepe lector admonetur. «Verum ne hanc imaginem... eidem comparet Trinitati, ut omnimodo existimet similem, sed potius in qualicumque ista similitudine, magnam quoque dissimilitudinem cernat» (*Ibid.* xx, 38. Cf. XIV, xviii, 24, et xix, 25). Intime sentit et alte praedicat imbecillitatem intellectus hominis lapsi ad attingendum illum ineffabilem Deum, «cuius nulla scientia est in anima, nisi scire quomodo eum nesciat» (*De Ord.* II, xviii, 47; cf. dicta circumspecta in *Retract.* I, xiv, 2).

c. Sed forte sicut Plotinus, cum neget animam posse ipsum Unum intueri, ei tamen concedit visionem idearum in Mente (imagine scil. Unius); ita A., sublato intuitu immediato Dei, affirmat nihilominus intellectum purificatum posse rationes aeternas in Verbo immediate conspicere. Cui explicationi haec obstant: 1) rationes aeternae in Verbo sunt ipsa Dei essentia, — «ille [Deus] primitus et veraciter et singulariter ista est» (*De Gen. ad Lit.* IV, iii, 7, citatum supra, **18, c**). 2) Homini constanter denegat A. rerum sensibilium cognitionem sine experientia, quali gaudent angeli, qui rationes aeternas rerum in Deo conspiciunt; v. g. *De Gen. ad Lit.* V, xvi, 34: «nec idonea est ipsa mens nostra, in ipsis

rationibus quibus facta sunt, ea [corporalia] videre apud Deum, ut per hoc sciamus quot et quanta qualiaque sint, etiamsi non ea videamus per corporis sensus». 3) Etiam quod attinet ad pura intelligibilia, ponderandi sunt huiusmodi textus: «Mens itaque humana prius haec quae facta sunt, per sensus corporis experitur, eorumque notitiam pro infirmitatis humanae modulo capit: et deinde quaerit eorum causas, si quomodo possit ad eas pervenire principaliter atque incommutabiliter manentes in ipso Verbo Dei, ac sic invisibilia eius per ea quae facta sunt intellecta conspicere. Quae quanta tarditate ac difficultate agat, et quanta temporis mora propter corpus corruptibile quod aggravat animam, etiam quae ferventissimo studio rapitur ut instanter ac perseveranter hoc agat, quis ignorat?» (*De Gen. ad Lit.* IV, xxxii, 49). — Quare aliqui interpretes (v. g. CAYRÉ, *La contemp. augus.*, p. 174 et sq.) insistunt ideas quas mens humana intuetur non esse nisi imagines divinarum. E contra, HESSEN contendit nos ipsas ideas divinas intueri, quod tamen Ontologismum non involvat (*A. s Metaph. der Erk.*, p. 259, et passim).

d. Liceat hic alias quasdam interpretationes indicare. 1) Deus causalitate efficienti imprimit in animam species sive repraesentationes idearum aeternarum, non eo tempore quo nascitur homo, sed deinceps decurrente vita; medio aevo GUL. ALVERNUS et R. BACON; recentius E. PORTALIÉ, *op. cit.*, col. 2335. 2) Deus illuminat hominem ei dando lumen creatum intellectus, et quidem intellectus agentis: nonnulli Thomistae, de quibus cf. BOYER, *Idée de Vérité*, c. iv, et *Essais*, c. v. In quem sensum conatur ipse S. THOMAS Augustinum interpretari: cf. VON HERTLING, *Augustinus-Zitate bei Th. von Aquin*; GRABMANN, *Der göttliche Grund* (p. 46 et sq.). 3) Deus mentem illuminat, non ipsas ideas ei imprimendo, sed modo dumtaxat formali et regulativo, manifestando veritatem iudiciorum necessariorum: GILSON, *Introduction*, pp. 116 et sq.; minus explicite, BAUMGARTNER, *Grosse Denker*, p. 290. — Secundum GEYSER, ubi loquitur A. de intuitu immediato Dei, significat intuitum earum veritatum certarum de eius exsistentia et natura, quae rationis discursu compertae sunt; *Augustin*, p. 68. — Plures concedunt explicationem deesse; v. g. BAEUMKER, *Kultur der Gegenwart*, p. 296; VON HERTLING, *Augustin*, p. 43; GRABMANN, *Aug. über Seele und Gott*, p. 94 (citans MAUSBACH); KÄLIN, *Erkenntnislehre des hl. Aug.*, p. 60.

IV

20. - De ratione inferiori

i. Quid ratio inferior. - *De Trin.* XII, ii, 2: possunt autem et pecora et sentire per corporis sensus extrinsecus corporalia, et ea memoria fixa reminisci, atque in eis appetere conducibilia, fugere incommoda. Verum ea notare, ac non solum naturaliter rapta, sed etiam de industria memoriae commendata retinere, et in oblivionem iam iamque labentia recordando atque cogitando rursus imprimere; ut quemadmodum ex eo quod gerit memoria cogitatio formatur, sic et hoc ipsum quod in memoria est cogitatione firmetur; fictas etiam visiones, hinc atque inde recordata quaelibet sumendo et quasi assuendo componere*, inspicere quemadmodum in hoc rerum genere quae verisimilia sunt discernantur a non veris, non spiritualibus sed ipsis corporalibus: haec atque huiusmodi, quamvis in sensibilibus atque in eis quae inde animus per sensum corporis traxit, agantur atque versentur, non sunt tamen rationis expertia, nec hominibus pecoribusque communia.

iii, 3: Illud vero nostrum quod in actione corporalium atque temporalium tractandorum ita versetur, ut non sit nobis commune cum pecore, rationale quidem est, sed ex illa rationali nostrae mentis substantia, qua subhaeremus intelligibili atque incommutabili veritati, tanquam ductum et inferioribus tractandis gubernandisque deputatum est.

De Trin. XIII, i, 2 (quid in prologo Ioan. ad scientiam sive rationem inferiorem pertinet): ' Fuit homo missus a Deo... ut omnes crederent per illum '. Hoc iam temporaliter gestum est, et ad scientiam pertinet, quae cognitione historica continetur. Hominem autem Ioannem in phantasia cogitamus, quae de humanae naturae notitia impressa est nostrae memoriae. Et hoc eodem modo cogitant, sive qui ista non credunt, sive qui credunt.

De Trin. XIV, viii, 11 (vera imago SS. Trinitatis non in scientia apparet): Nec sicut fiebat vel apparebat, quando de illa scientia disserebamus, iam in hominis interioris operibus constituta, quae distinguenda fuit a sapientia: unde quae sciuntur, vel adventitia sunt in animo, sive cognitione historica illata, ut sunt facta et dicta quae tempore peraguntur et traseunt, vel in natura rerum suis locis et regionibus constituta sunt, sive in ipso homine quae non erant oriuntur, aut aliis docentibus, aut cogitationibus propriis, sicut fides, quam plurimum in libro XIII commendavimus; sicut virtutes, quibus si verae sunt in hac mortalitate ideo bene vivitur ut beate in illa quae divinitus promittitur immortatitate vivatur. Haec atque huiusmodi habent in tempore ordinem suum, in quo nobis trinitas memoriae, visionis et amoris facilius apparebat. Nam quaedam eorum praeveniunt cognitionem discentium. Sunt enim cognoscibilia et antequam cognoscantur, suique cognitionem in discentibus gignunt. Sunt autem vel in locis suis, vel quae tempore praeterierunt: quamvis quae praeterierunt, non ipsa sint, sed eorum quaedam signa praeteritorum, quibus visis vel auditis cognoscantur fuisse vel transisse (v. g. monumenta, litterae fide dignae, testimonium ore traditum, etc.).

a. De duplici officio rationis, cui correspondet distinctio inter sapientiam et scientiam, cf. supra **12, ii**. Ratio inferior a superiori, cui inservire debet, differt praesertim dupliciter: fine, qui est actio, non contemplatio; et obiecto, siquidem mutabilia respicit et in tempore posita. Ipsi itaque pertinet omnis cognitio historica, et cognitio virtutum quae huic vitae sunt propriae, v. g. virtutis fidei. *De Trin.* XII, xii, 17: « Rationi autem scientiae appetitus vicinus est: quandoquidem de ipsis corporalibus, quae sensu corporis sentiuntur, ratiocinatur ea quae scientia dicitur actionis; si bene, ut eam notitiam referat ad finem suum boni; si autem male, ut eis fruatur tamquam bonis ». De eius ambitu, cf. etiam *De Quant. An.* xxxiii, 72 (de tertio gradu animae), ubi omnes artes et disciplinas profanas complecti videtur.

b. Parum incumbit A. in explicationem huius rationis inferioris, quam parvi pendit, tanquam rebus per se inutilibus deditam, et pronam in id ut a rebus aeternis hominem avertat in sensibilia et in se ipsum; *De Trin.* XII, xi, 16: « Cum enim, neglecta caritate sapientiae quae semper eodem modo manet, concupiscitur scientia ex mutabilium temporaliumque experimento, inflat, non aedificat; ita praegravatus animus quasi pondere suo a beatitudine expellitur ». Habet tamen « et scientia modum suum bonum, si quod in ea inflat vel inflare assolet, aeternorum cari-

tate vincatur.» (*Ibid.* xiv, 21); ea enim opus est, et ad veram doctrinam defendendam, et praesertim ad Sacras Scripturas intelligendas, quod fuse exponitur in *De Doctrina Christ.* II.

c. Distinctio psychologica vel epistemologica inter duplicem rationem non accurate elaborata est, quod inde ex parte pendet quod usurpatur tantummodo ad varias trinitates in homine exponendas; et ita quidem ut inter omnes istas trinitates, illa quae ad scientiam spectat brevius et obscurius evolvatur. V. g. non inferioris sed « sublimioris rationis est iudicare de istis corporalibus secundum rationes incorporales et sempiternas » (*De Trin.* XII, ii, 2), ad quam etiam attinet rerum sensibilium et mutabilium cognoscere intelligibiles rationes (*Ibid.* xiv, 23). Videtur innuere ratiocinium sive discursum esse proprium scientiae, *ibid.* xv, 25: « ut ad sapientiam pertineat aeternarum rerum cognitio intellectualis, ad scientiam vero temporalium rerum cognitio rationalis »; sed non solet A. ita distinguere, nec multum attendit ad vim nostram ratiocinandi.

ii. De intellectu signorum. - *De Gen. ad Lit.* XII, xi, 22: Et siquidem spiritus irrationalis est, hoc usque oculi nuntiant [i. e. ad imagines in spiritu sive phantasia imprimendas]. Si autem anima rationalis est, etiam intellectui nuntiatur, qui et spiritui praesidet, ut si illud quod hauserunt oculi, atque id spiritui, ut eius illic imago fieret, nuntiaverunt, alicuius rei signum est, aut intelligatur continuo quid significet, aut quaeratur; quoniam nec intelligi nec requiri nisi officio mentis potest. 23. Vidit rex Balthasar articulos manus scribentis in pariete... Iam tamen signum esse intelligebatur, id habens ex mentis officio. Et quia requirebatur quid significaret, etiam ipsam inquisitionem utique mens agebat... 24. Vidit Petrus in alienatione mentis vas quattuor lineis alligatum submitti de caelo... Cum vero disceptabatur et requirebatur ut illa signa intelligerentur, mentis erat actio conantis, sed deerat effectus donec... adiuta divinitus mens intellexit quid illis signis omnibus ageretur.

De Quant. An. xxxiii, 72: Ergo attollere in tertium gradum [animae], qui iam est homini proprium, et cogita memoriam non consuetudine inolitarum, sed animadversione atque signis commendatarum ac retentarum rerum innumerabilium, tot artes opificum... inventiones tot signorum in litteris, in verbis, in gestu, in cuiuscemodi sono, in picturis atque figmentis; tot gen-

tium linguas...; tantum librorum numerum, et cuiuscemodi monumentorum ad custodiendam memoriam, tantamque curam posteritatis.

De Doctr. Christ. II, i, 1: Signum est enim res, praeter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire: sicut vestigio viso, transisse animal cuius vestigium est cogitamus; et fumo viso, ignem subesse cognoscimus; et voce animantis audita, affectionem animi eius advertimus... 2. Signorum igitur alia sunt naturalia, alia data... ii, 3. Data vero signa sunt, quae sibi quaeque viventia invicem dant ad demonstrandos, quantum possunt, motus animi sui, vel sensa aut intellecta quaelibet. Nec ulla causa est nobis significandi, i. e. signi dandi, nisi ad depromendum et traiiciendum in alterius animum id quod animo gerit is qui signum dat.

a. Confinia rationis inferioris et imaginationis solet A. quaerere respiciendo bruta animantia: quod ipsa non valent, ad rationem in homine pertinet. Manent tamen ea confinia satis ambigua, neque facile est discernere quando de mera phantasia, quando de ratione inferiore loquitur. Ubi animadvertendum est A. unitatem et simplicitatem animae admodum extollere, ita ut ipsa (non corpus animatum) sit subjectum etiam sensationum; quare etiam quando imagines sensibiles agit et versat, « haec non sunt tamen rationis expertia, nec hominibus pecoribusque communia » (*De Trin.* XII, ii, 2; cf. supra, **i**).

b. Tanquam indicia certa operationis rationalis, haec passim recensentur: iudicare de sensibus et de sensibilibus, causas quaerere, ultra vim phantasiae procedere concipiendo figuras geometricas (*Solil.* II, xxi, 35), numerum ampliando, corpuscula dividendo (*De Trin.* XI, x, 17). Sed hoc quoque: de signis recte iudicare eorumque significatum perspicere. Etenim cum nihil ratio de corporibus potest scire vel iudicare nisi nuntiantibus sensibus, posset forte dici activitas rationis inferioris in hoc consistere quod signa a sensibus praestata interpretetur. *De Gen. ad Lit.* XII, xiv, 29: « Quid enim faciant oculi non habent, cum simile corpus viderint, quod ab alio discernere non possint; aut quid faciat animi intentio, cum in spirictu facta fuerit corporis similitudo, quam non valeat distinguere a corpore? Sed adhibetur intellectus, quaerens quid illa significent vel utile doceant ».

c. Quamvis lux intelligibilis plerumque referatur ad intellectum superiorem, ratio etiam inferior eam evidenter involvit. *In Ioan. Evan.* III, 4: « Est quaedam lux hominum. Unde distant homines a pecoribus

videamus, et tunc intelligemus quid sit lux hominum... Si ergo melior [es] pecore quia habes mentem qua intelligas... lux hominum est lux mentium. Lux mentium supra mentes est... ». *De Vera Rel.* lii. 101: In inferis « nulla potest esse commemoratio veritatis, quia nulla ratiocinatio; ideo nulla ratiocinatio quia non eam perfundit lumen verum, quod illuminat omnem hominem ». Cf. supra, **19, iii.**

21. - De conceptibus empiricis

De Trin. VII, iv, 7 (quomodo credimus quod non vidimus, siquidem imagines quas nobis fingimus rerum creditarum ipsis rebus sunt dissimiles): Neque in fide nostra quam de Domino Iesu Christo habemus, illud salubre est quod sibi animus fingit, longe fortasse aliter quam res se habet, sed illud quod secundum speciem de homine cogitamus: habemus enim quasi regulariter infixam humanae naturae notitiam, secundum quam quidquid tale aspicimus, statim hominem esse cognoscimus vel hominis formam. v. Secundum hanc notitiam cogitatio nostra informatur, cum credimus pro nobis Deum hominem factum... Sic et virtutem miraculorum ipsius et resurrectionis eius, quoniam novimus quid sit omnipotentia, de omnipotente Deo credimus, et secundum species et genera rerum vel natura insita vel experientia collecta, de factis huiuscemodi cogitamus, ut non sit ficta fides nostra. Neque enim novimus faciem virginis Mariae, ex qua ille intacta neque in ipso partu corrupta mirabiliter natus est... Et tamen ea [talia facta] firmissime credimus, quia secundum specialem generalemque notitiam, quae certa nobis est, cogitamus. Credimus enim Dominum Iesum Christum natum de virgine quae Maria vocabatur. Quid sit autem virgo, et quid sit nasci, et quid sit nomen proprium, non credimus sed prorsus novimus.

8. Quomodo igitur eam Trinitatem, quam non novimus, credendo diligimus? An secundum specialem generalemve notitiam, secundum quam diligimus apostolum Paulum? Qui etiam si non ea facie fuit quae nobis occurrit de illo cogitantibus, et hoc penitus ignoramus, novimus tamen quid sit homo. Ut enim longe non eamus, hoc sumus: et illum hoc fuisse, et animam eius corpori copulatam mortaliter vixisse manifestum est. Hoc

ergo de illo credimus, quod invenimus in nobis, iuxta speciem vel genus, quo humana omnis natura pariter continetur. Quid igitur de illa excellentia Trinitatis sive specialiter sive generaliter novimus, quasi multae sint tales trinitates, quarum aliquas experti sumus, ut per regulam similitudinis impressam vel specialem vel generalem notitiam, illam quoque talem esse credamus; atque ita rem quam credimus et nondum novimus, ex parilitate rei quam novimus diligamus? Quod utique non ita est.

vi, 9. Redi ergo mecum, et consideremus cur diligimus Apostolum... amamus enim animum iustum [in Apostolo]. Ex qua ergo generali aut speciali regula, nisi quia scimus et quid sit animus, et quid sit iustus? Et anima quidem quid sit, non incongrue nos dicimus ideo nosse, quia et nos habemus animum. Neque enim unquam oculis vidimus, et ex similitudine visorum plurium notionem generalem specialemve percepimus; sed potius, ut dixi, quia et nos habemus... Quid autem sit iustus unde novimus, si iusti non sumus? Quod si nemo novit quid sit iustus nisi qui iustus est, nemo diligit iustum nisi iustus... secundum quod superius demonstravimus, neminem diligere quod credit et non videt, nisi ex aliqua regula notitiae generalis sive specialis... An signa quaedam per motum corporis emicant, quibus ille aut ille homo esse iustus apparet? Sed unde novit illa signa esse animi iusti, nesciens quid omnino sit iustus?... In nobis igitur novimus quid sit iustus... praesens quiddam cerno, et cerno apud me, etsi non sum ipse quod cerno, et multi si audiant approbabunt.

a. Discernit itaque A. inter cognitionem purorum intelligibilium, v. g. quid sit iustus, et illas notitias generales vel speciales quae ex similitudine visorum plurium colliguntur, quae certe a sensibus dependent; cf. *De Trin.* IX, iii, 3: « Mens ergo ipsa, sicut corporearum rerum notitias per sensus corporis colligit, sic incorporearum per se ipsam ». Sed illae notitiae rerum corporalium eo inducuntur et describuntur ut distinguantur, non ab imaginibus sensibilibus, sed a puris intelligibilibus, sicut in excerptis citatis; v. g. *De Trin.* IX, vi, 9: «Neque enim oculis corporeis multas mentes videndo, per similitudinem colligimus generalem vel specialem mentis humanae notitiam; sed intuemur inviolabilem veritatem ». Quo fit ut haud facile textus inveniantur quibus indubitanter constat tales notitias esse plus quam imagines in phantasia compositas.

b. Si conceptus empiricos vere universales admittit, nullibi explicat quomodo efformentur. De abstractione altum silentium. Eiusque dicta saepe perinde sonant ac si mens iudicaret de sensibilibus, applicando immediate ipsorum imaginibus eas normas et rationes quas cernit in lumine intelligibili. Quae difficultas de cognitione intellectuali sensibilium, omni Platonismo ingenita, cum his aliis intime connectitur: danturne ideae singularum rerum? quomodo, si res sunt in quantum numeros (sive ideas) participant, materiam habere possint, quae non sit numerus, et tamen non sit nihil? quomodo tales res cognosci possunt tamquam materiales?

c. Kälin (pp. 60-66), Gilson (pp. 113 et sqq.), Hessen (*A. s Metaph. der Erk.*, p. 52) negant, supposita psychologia Augustini, dari posse abstractionem proprie dictam, cum imago sensibilis producatur, non a re extra in animam, sed ab anima in seipsa, ita ut iam sit accidens animae rationalis, in ordine mentali. Vel alio modo, quia deest phantasma Aristotelicum, productum a corpore in organum anima sensitiva animatum, quod phantasma, cum res externa animam revera afficiat, potest communem essentiam virtualiter continere et intellectui praeponere. Contra quam interpretationem argumentatur Boyer, *Essais*, ch. vi.

22. - De ignorantia et errore

i. De ignorantia. - *Enar. in Ps.* xxxix, 21: Est aliquid quod videamus: quid premit ut non videamus? Nonne iniquitas? Oculum tuum, ne istam lucem videre posses, premebat fortassis humor irruens, premebat fortassis fumus, pulvis, aliquid iniectum; et levare oculum saucium non poteras ad istam lucem. Quid ergo, cor saucium levabis ad Deum? Nonne prius sanandum est ut videas? Nonne superbus inveniris cum dicis: primo videam, et sic credam? Quis dicit? Quis enim visurus dicit: videam, et sic credam? Lucem ostensurus sum; immo vero ipsa se lux ostendere vult. Cui? Caeco non potest: non videt. Unde non videt? Gravato oculo multis peccatis.

In Ioan. Evan. I, 19: Ergo, fratres, quomodo homo positus in sole caecus, praesens est illi sol, sed ipse soli absens est; sic omnis stultus, omnis iniquus, omnis impius caecus est corde. Praesens est sapientia, sed cum caeco praesens est, oculis ejus absens est: non quia ipsa illi absens est, sed quia ipse ab illa absens est. Quid ergo faciet iste? Mundet unde possit videri Deus.

De Trin. XII, viii, 13 (lapsus animae a veritate confertur cum lapsu protoparentum): Qui etiam ipse [homo interior] si per illam rationem cui temporalium rerum administratio delegata est, immoderato progressu nimis in exteriora prolabitur, consentiente sibi capite suo, i. e. non eam cohibente atque refrenante [ratione superiore]... aeternorum illa visio ab ipso etiam capite cum coniuge vetitum manducante subtrahitur, ut lumen oculorum eius non sit cum illo; ac sic ab illa illustratione veritatis ambo nudati...

ix, 14. Potestatem quippe suam diligens anima, a communi universo ad privatam partem prolabitur; et apostatica illa superbia, quod initium peccandi dicitur... plus aliquid universo appetens, atque id sua lege gubernare molita, quia nihil est amplius universitate, in curam partilem truditur, et sic aliquid amplius concupiscendo minuitur;... atque ita formis et motibus corporalibus delectata, quia intus ea secum non habet, cum eorum imaginibus quas memoria fixit involvitur, et phantastica fornicatione turpiter inquinatur, omnia officia sua ad eos fines referens, quibus curiose corporalia ac temporalia per corporis sensus quaerit, aut tumido fastu aliis animis corporeis sensibus deditis esse affectat excelsior, aut coenoso gurgite carnalis voluptatis immergitur.

x, 15. Cum vero propter adipiscenda ea quae per corpus sentiuntur, propter experiendi vel excellendi vel contrectandi cupiditatem, ut in his finem boni sui ponat, aliquid agit, quidquid agit turpiter agit, et fornicatur in corpus proprium peccans; et corporearum rerum fallacia simulacra introrsus rapiens et vana meditatione componens, ut ei nec divinum aliquid nisi tale videatur, privatim avara fetatur erroribus, et privatim prodiga inanitur viribus.

a. Cf. excerpta supra allata de fuga sensibilium, **10.** *De Vera Rel.* xxxv, 65: « Haec enim phantasmata tumoris et volubilitatis, constantem unitatem videre non sinunt. Loca offerunt quod amemus, tempora surripiunt quod amamus, et relinquunt in anima turbas phantasmatum, quibus in aliud atque aliud cupiditas incitetur. Ita fit inquietus et aerumnosus animus, frustra tenere a quibus tenetur exoptans. Vocatur ergo ad otium, i. e. ut ista non diligat, quae diligi sine labore non possunt ».

b. *De Trin.* X, v, 7, quomodo anima potest se ipsam ignorare: aversa a Deo ad creaturas, « movetur et labitur in minus et minus, quod putat amplius et amplius; quia nec ipsa sibi, nec ei quidquam sufficit recedenti ab illo qui solus sufficit: ideoque per egestatem et difficultatem fit nimis intenta in actiones suas et inquietas delectationes quas per eas colligit; atque ita cupiditate acquirendi notitias ex iis quae foris sunt, quorum cognitum genus amat et sentit amitti posse, nisi impensa cura teneatur, perdit securitatem, tantoque seipsam minus cogitat, quanto magis secura est quod se non possit amittere. Ita cum aliud sit non se nosse, aliud non se cogitare... tanta vis est amoris, ut ea quae cum amore diu cogitaverit, eisque curae glutino inhaeserit, attrahat secum etiam cum ad se cogitandam quodam modo redit ».

c. Viae quae ad veritatem ducunt sunt « prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas », *Epis.* CXVIII (ad Diosc.), 22.

ii. Quid intersit inter credere et opinari. - *De Mendacio* iii, 3: Inter credere autem atque opinari hoc distat, quod aliquando ille qui credit sentit se ignorare quod credit, quamvis de re quam se ignorare novit omnino non dubitet, si eam firmissime credit; qui autem opinatur, putat se scire quod nescit... Nec ideo tamen sine vitio est, quamvis non mentiatur, si aut non credendo credit, aut quod ignorat nosse se putat, etiamsi verum sit: incognitum enim habet pro cognito.

De Util. Credendi xi, 25: Tria sunt item velut finitima sibimet in animis hominum distinctione dignissima: intelligere, credere, opinari. Quae si per se ipsa considerentur, primum semper sine vitio est; secundum aliquando cum vitio; tertium nunquam sine vitio... Credere autem tunc est culpandum, cum vel de Deo indignum aliquid creditur, vel de homine facile creditur. In caeteris vero rebus si quis quid credit, si se id nescire intelligat, nulla culpa est... Opinari autem duas ob res turpissimum est: quod et discere non potest, qui sibi iam se scire persuasit, si modo illud disci potest; et per se ipsa temeritas non bene affecti animi signum est... [Qui opinatur] profecto errat, neque quisquam error turpitudine caret. Quod intelligimus igitur, debemus rationi; quod credimus, auctoritati; quod opinamur errori. Sed intelligens omnis etiam credit, credit omnis et qui opinatur; non omnis qui credit intelligit, nullus qui opinatur intelligit.

a. Eadem tripartita divisio invenitur apud SPINOZAM, *Korte Verhand.* ii, cc. 1 et 2; et apud KANT, *Kr. der reinen Vern.* A, 820. Proponitur ab A. in ordine ad culpabilitatem illorum actuum, ac proinde distinctio psychologica parum elaboratur.

b. Modo generali, id credimus cui assentimur quin intellectu intueamur ita esse, v. g. facta sensibus percepta vel praesertim aliorum testimonio fulcita; quae non sunt veritates omnibus mentibus perviae et in luce intelligibili conspiciendae. Cf. *De Trin.* IX, vi, 9, citatum supra, **13, b,** et **19, v.** Quae partitio (*Epis.* CXLVII, iii, 8: « Constat igitur nostra scientia ex rebus visis et creditis ») nimis negligit discursum rationis, et perceptionem motivorum credendi.

c. Opinari, locis citatis, idem sonat ac errare; est etiam credere, sed falsis. Non indicatur discrimen ipsis actibus intrinsecus proprium. Neque A. abhorret a locutione « fallimur credendo », quando prae oculis non habet fidem supernaturalem. Et revera definitio illa opinionis ab Academicis est desumpta, qui eo ipso voluerunt omnem fidem tollere.

iii. De falsitate. - *Solil.* II, v, 8: A. Verum mihi videtur esse id quod est. R. Nihil ergo erit falsum, quia quidquid est, verum est. A. In magnas angustias me coniecisti... [Falsitas ostenditur consistere in aliqua similitudine cum vero, itemque in aliqua dissimilitudine]. viii, 15. Sed cum considero illud quod falsum vocamus, et simile aliquid habere veri et dissimile, ex qua potius parte meruerit falsi nomen, non valeo discernere. Si enim ex eo quod dissimile est dixero, nihil erit quod non falsum dici possit; nihil enim est quod non alicui rei dissimile sit, quam veram esse concedimus. Item, si dixero eo quod simile est, falsum appellandum,... etiam sic non effugiam eum qui me coegerit falsa esse omnia confiteri, quod omnia sibi ex aliqua parte similia esse negare non possum. ix, 16. R. Video enim, tentatis quantum potuimus omnibus rebus, non remansisse quod falsum iure dicatur, nisi quod aut se fingit esse quod non est, aut omnino esse tendit et non est... 17. Eadem illa sunt, quorum multa supra memoravimus. Annon tibi videtur imago tua de speculo quasi tu ipse velle esse, sed ideo esse falsa, quod non est? A. Valde hoc videtur. R. Quid omnis pictura vel cuiuscemodi simulacrum, et id genus omnia opificum? Nonne illud esse contendunt, ad cuius quidque similitudinem factum est?...

Taceo de caeteris sensibus; nam nemo considerans non hoc inveniet, falsum appellari in rebus ipsis quas sentimus, quod esse aliquid tendit et non est.

De Vera Rel. xxxiii, 61 (quomodo corpora falso videntur ideam unitatis nobis praestare): Sed quaerendum potius est, cum ideo mentiantur, quia eam videntur ostendere oculis carneis, cum illa mente pura videatur, utrum in tantum mentiantur, in quantum ei similia sunt, an in quantum eam non assequerentur. Nam si assequerentur, quod imitantur implerent... non eam mentirentur; id enim essent quod illa est. Nec tamen mentiuntur diligentius considerantibus: quia ille mentitur qui vult videri id quod non est; quod autem non volens aliud putatur quam est, non mentitur sed fallit tantum... Si vero etiam non putetur esse quod non est, nec fallit.

xxxiv, 63. Et si propterea nos fallit rerum visibilium pulchritudo, quia unitate continetur et non implet unitatem; intelligamus, si possumus, non ex eo quod est nos falli, sed ex eo quod non est. Omne quippe corpus est, sed falsa unitas. Non enim summe unum est, aut in tantum id imitatur ut impleat; et tamen nec corpus ipsum esset, nisi utcumque unum esset.

xxxvi, 67. Unde falsitas oritur, non rebus ipsis fallentibus, quae nihil aliud ostendunt sentienti quam speciem suam, quam pro suae pulchritudinis acceperunt gradu; neque ipsis sensibus fallentibus, qui pro natura sui corporis affecti, non aliud quam suas affectiones praesidenti animo nuntiant: sed peccata animas fallunt, cum verum quaerunt, relicta et neglecta veritate.

a. Quia scire possumus solummodo id quod est, et quia falsitas non est aliquid positivum in rebus, « nemo potest scire falsa ». Possunt tamen res fallere, quatenus similes cum sint aliis rebus veris, aliquam diversitatem ab iisdem in se continent non apparentem.

iv. De errore. - *Enchiridion,* xvii: Quamvis enim error quantum possumus cura cavendus sit, non solum in maioribus verum etiam in minoribus rebus, nec nisi rerum ignorantia possit errari; non est tamen consequens ut continuo erret quisquis aliquid nescit, sed quisquis se existimat scire quod nescit: pro

vero quippe approbat falsum, quod est erroris proprium. Verumtamen in qua re quisque erret, interest plurimum... Sed diligentius considerata veritate, cum aliud nihil sit errare quam verum putare quod falsum est, falsumque quod verum est; vel certum habere pro incerto, incertumve pro certo, sive falsum sive sit verum; idque tam sit in animo deforme atque indecens, quam pulchrum et decorum esse sentimus, vel in loquendo, vel in assentiendo 'Est, est, non, non': profecto et ob hoc ipsum est vita misera ista qua vivimus, quod ei nonnunquam, ut non amittatur, error est necessarius... Usque adeo tamen rationalis natura refugit falsitatem, et quantum potest devitat errorem, ut falli nolint etiam quicumque amant fallere.

xix. Sed cum dico in quibusdam rebus nullo malo aliquem, vel nonnullo etiam bono falli, non ipsum errorem dico nullum malum vel nonnullum bonum... Nam ipse per se ipsum error, aut magnum in re magna, aut parvum in re parva, tamen semper est malum. Quis enim nisi errans malum neget, approbare falsa pro veris aut improbare vera pro falsis, aut habere incerta pro certis, vel certa pro incertis?... In his atque huiusmodi falsitatibus [exempla ex Scriptura Sacra], salva fide quae in Deum nobis est, fallimur, et via non relicta quae ad eum ducit erramus: qui errores, etiamsi peccata non sunt, tamen in malis huius vitae deputandi sunt.

De Gen. ad Lit. XII, xxv, 52: Illuditur autem anima similitudinibus rerum, non earum vitio, sed opinionis suae, cum approbat quae similia sunt pro iis quibus similia sunt, ab intelligentia deficiens. Fallitur ergo in visione corporali, cum in ipsis corporibus fieri putat quod fit in corporis sensibus... In visione autem spirituali, id est in corporum similitudinibus quae spiritu videntur, fallitur anima, cum ea quae sic videt, ipsa corpora esse arbitratur; vel quod sibi suspicione falsaque coniectura finxerit, hoc etiam in corporibus putat, quae non visa coniectat. At vero in illis intellectualibus visis non fallitur: aut enim intelligit, et verum est; aut si verum non est, non intelligit. Unde aliud est in his errare quae videt, aliud ideo errare quia non videt.

De Trin. IX, vi, 11 (invenio hominem, quem amavi tanquam

bonum, esse revera malum): statim amor ille, quo in eum ferebar, offensus et quasi repercussus et ab indigno homine ablatus, in ea forma permanet, ex qua eum talem credens amaveram... At in illo homine nihil mutatum est... In mente autem mea mutata est utique ipsa existimatio, quae de illo aliter se habebat, et aliter habet; idemque amor ab intentione perfruendi ad intentionem consulendi, incommutabili desuper iustitia iubente deflexus est. Ipsa vero forma inconcussae ac stabilis veritatis, et in qua fruerer homine bonum eum credens, et in qua consulo ut bonus sit, eadem luce incorruptibilis sincerissimaeque rationis et meae mentis aspectum, et illam phantasiae nubem quam desuper cerno, cum eundem hominem quem videram cogito, imperturbabili aeternitate perfundit.

a. Solita definitio erroris apud A. est « falsi pro vero approbatio », a qua verbis tantum distant hae aliae: « putare esse quod non est », « assentiri falsis ». Ab Academicis mutuatus est aliam formulam (*Contra Acad.* III, xiv, 32; *Enchir.* xx): « rem dubiam, quamvis vera sit, approbare »; quam utique metuit ne fidem excludat. Eius loco mavult dicere « aestimare se scire quod nescit ».

b. Respicit errorem imprimis, non quatenus est manca cognitio, sed quatenus est malum morale, habens fere semper prae oculis errores qui ad religionem spectant. Debetur ignorantiae, et turbis phantasmatum, et tandem malitiae voluntatis.

c. Error ut ita dicam typicus, is est quo assentimur imaginibus sensibilibus, quasi ipsae essent res vel res accurate repraesentarent. Cf. *De Gen. ad Lit.* XII, xxv, citatum. *De Trin.* IX, xi, 16: « Non enim omnino ipsa corpora in animo sunt, sed eorum similitudines; itaque cum eas pro illis approbamus, erremus; error namque est pro alio alterius approbatio ». « ut nulla sit alia materies omnium falsarum opinionum » (*De Mus.* VI, xi, 32).

d. Assensus erroneus, quamvis indicetur vocibus « putare », « arbitrari », « aestimare », etc., nullibi refertur rationi sive intellectui. Nam « intellectualis visio non fallitur: aut enim non intelligit qui aliud opinatur quam est; aut, si intelligit, continuo verum est » (*De Gen. ad Lit.* XII, xiv, 29). Neque dicit A. nos errare « iudicando », cum ita labefactaretur principium illud, « melius est iudicans quam illud de quo iudicatur » (cf. supra, **12, i**). Revera non habet theoriam iudicii quae includat iudicia falsa, neque explicat (vel etiam admittit) partem rationis in talibus iudiciis. Cf. L. KEELER, *St. A. on the Prob. of Error*, Thought, Dec. 1933.

INDEX RERUM

CORRIGENDA

p. 4,	l. 17:	lege	"imbuenda", "ut fidentius".
p. 5,	l. 6:	adde	*De Fide Rerum quae non videntur*, i et ii
p. 7,	l. 24:	lege	"reparatum" (pro "elevatum").
p. 13,	l. 19:	„	"*De Lib. Arb.* I, vii, 16".
„	l. 21:	adde	"*De Civ. Dei* XI, xxvi".
p. 19,	l. 22:	lege	"operaretur".
p. 22,	l. 15:	„	"fuerit sensus".
„	l. 38:	„	"sensationem consciam".
p. 28,	l. 9:	„	"anime meus".
p. 32,	l. 35:	„	"auras suas".
p. 38,	l. 2:	„	"de sensibilibus".
„	l. 3:	„	"attingunt".
p. 39,	l. 35:	„	"ab excellentiore".
p. 44,	l. 11:	„	"recondidi".
„	l. 33:	„	"qui non eos videt".
p. 45,	l. 30:	„	"non quas veras".
p. 55,	l. 30:	„	"captum mentis".
p. 57,	l. 2:	„	"et quidquid".
„	ll. 4-5:	„	"molibus corporalibus".
p. 68,	l. 34:	„	"in spiritu".
p. 75,	l. 8:	„	"assequantur".

10. **Tertulliani: De Baptismo.** — Recensio nova cum introductione, notis, indicibus. (ADH. D'ALÈS). in-8°, pp. 58, 1933 - L. 4.

11. **De ordaliis. II.** Ordo et rubricae. Acta et facta. Sententiae theologorum et canonistarum. (P. BROWE). in-8°, pp. 112, 1933 - Lire 6.

12. **De origine et evolutione interdicti.** I. Scriptores, epistolae, concilia (W. RICHTER). in-8°, pp. 80, 1934 - Lire 6.

13. **De origine et evolutione interdicti.** II. Decreta Rom. Pontificum (W. RICHTER). in-8°, pp. 78, 1934 - Lire 6.

14. **Quaestio de unico esse in Christo.** Documenta saec. XIII. (E. HOCEDEZ). in-8°, pp. 132, 1933 - Lire 6.

15. **S. Leoni Magni Epistolae de Fide Chalcedonensi.** I. Epistolae Concilio praemissae (C. SILVA-TAROUCA et F. DI CAPUA). Sub prelo.

ALII TOMI PARANTUR

SERIES PHILOSOPHICA

1. **De Platonis doctrina circa animam.**
Textus selecti (J. Souilhé). in-8°, pp. 84, 1932 - Lire 6.
2. **De origine formae materialis.**
Textus antiqui et recentiores (P. Hoenen). in-8°, pp. 88. 1932 - Lire 6.
3. **De principiis ethicae socialis.**
Documenta ultimorum Rom. Pontificum (G. Jarlot). in-8°, pp. 82, 1932 - Lire 6.
4. **Quinque viae S. Thomae ad demonstrandam existentiam Dei, apud antiquos Graecos, philosophos Arabes et Iudaeos praeformatae vel adumbratae.**
Textus selecti (P. Arnou). in-8°, pp. 104, 1932 - Lire 6.
5. **S. Thomae Aquinatis: De Ente et Essentia.**
Editio aucta introductione, notis, locis parallelis (C. Boyer). in-8°, pp. 64, 1933 - Lire 4.
6. **Controversia de aeternitate mundi.**
Textus antiquorum et scholasticorum cum introductione et notis (M. Gierens). in-8°, pp. 103, 1933 - Lire 6.
7. **De Eudaimonia sive De Beatitudine.**
Textus e philosophis antiquis cum introductionibus et notis (J. B. Schuster). in-8°, pp. 55, 1933 - Lire 4.
8. **Aristotelis de Anima libri tres, graece et latine.**
Lib. I. - Editio cum versione et notis (P. Siwek). in-8° pp. 88, 1933 - Lire 6.
9. **Aristotelis de Anima libri tres.** Lib. II. (P. Siwek). in-8°, pp. 128, 1933 - Lire 7.
10. **Aristotelis de Anima libri tres.** Lib. III. (P. Siwek). in-8°, pp. 144, 1933 - Lire 7.
11. **S. Augustini doctrina de cognitione.** Textus selecti (L. Keeler). in-8°, pp. 80, 1934 - Lire 6.

ALII TOMI PARANTUR